PAVLI OFFREDI MEDICINÆ DOCTORIS,

IN LIBRVM APHORISMORVM HIPPOCRATIS commentaria aphoriſtica,

AD METHODVM Analyticam redacta.

Cum Græco textu, Latináque eius interpretatione,& Indice locupletiſſimo.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA.

AVRELIAE ALLOBROGVM.
Excudebat Petrus de la Rouiere.

ANNO M. DCVI.

VIRO NOBILI,

D. MARCO OFFREDO, MEDICINÆ DOCTORI

clarissimo, Parenti suo plurimùm colendo,

PAVLVS OFFREDVS FILIVS S.P.D.

EN offero tibi, Pater obseruande, specimen lucubrationũ mearum, serum forsitan, at serium cultus in te mei testimonium, imò ne serium quidem,

ſi vnum id cum illis, quibus me plena manu cumulare pergis, beneficiis conferatur: ſed religioſum animi noſtri in te affectum, ſcio, ſpectabis. Nec verò tam ipſe offero, quàm tenellus hic partus noſter oculos in te ſponte conijcit, quem, naturæ quodam inſtinctu haud fallaci, educatorem vnicum iure agnoſcit. In eo ſi quid formæ, ſi quid virium, id muneris tui eſt vniuerſum, qui hanc ipſam lucem, qua nunc ſingulari Dei beneficio per te fruor, mihi nõ antiquiorem, quàm nobiliſſimæ artis tuæ rudimentum eſſe voluiſti: in qua deinceps formare me, firmaréque perrexiſti, magna ſanè cura & ſtudio. Excipe igi-

pe igitur, quæso, & agnosce fœtum hunc qualemcunque, sic animum nostrum excitabis ad maiora quædam & grauiora connitentem: indulgeat modò vitam Deus, quem supplex veneror, vt te ac tuos benignitate semper sua complectatur. Aue & vale, Pater charissime. E Musæo. Cal. Mart. 1606.

§ 3

LECTORI BENEVOLO.

SCIO equidem, Lector, quàm plurimos in eruẽdis, poliendis, ac pro dignitate ornandis lapillis, gemmísque pretiosissimis, in hoc aphorismorum thesauro latentibus, insudasse: nec immeritò, cùm hîc vel actu, vel potestate habeatur quicquid eximiũ & illustre, ars medica ambitu suo cõplectitur: vnde & à Suida, Hippocratis aphorismos σύνεσιν ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνειν, dictũ bene. Hanc ob causam, ipse quoque penetralium huius aurei libelli visendorum, non vulgari accẽsus desiderio, singulos aphorismos diligentiùs excutere, & ad rationis trutinam, qua potui solertia, reuocare cœpi: ratus in primis feliciùs fieri nihil, quàm quod impellente genio peragitur. Syllogisticũ elegi scribendi genus, vt aphoristica doctrina vtrinque elucesceret, in eo namque sum-

ma bre-

ma breuitas non minore cum perspicuitate coniungitur: quò fit vt vel pertinacissimus quisque, eminentem in syllogismo veritatis fulgorem, volens nolens agnoscat. In prima tamen operis sectione, in qua quidem tota ferè medendi methodus delineatur, ob sententiarum pondus, gemina plerumque expositione vti visum fuit, quarum syllogistica vna, altera simplex: quinetiam nonnullos vltimæ sectionis aphorismos, pro spuriis habitos ad hanc diem, cùm eundem, quem & alij, patrem Hippocratem præferre omnino viderentur, meritò in legitimorum censum restitutos animaduertes: eóque liberiùs id à me factum, quòd hæc ipsa commentaria in priuatum vsum primitus conscripserim: quanquam amicis non paucis hortantibus, iam publici iuris fiunt, eo potissimùm consilio, vt alij in re Logicomedica peritiores, ad egregium hocce commentationis genus, longè feliciùs tractandum excitentur. Vale.

IN HIPPOCRATIS APHORISMOS SYLlogisticè à Paulo Offredo medico inlustratos.

Ἀρχαίων φάτις ἤδε· ὅπου ῥόδον, ἔνθα ἄκανθαι.
Οὕτως πικρὰ φύσις συνδυάσεν γλυκέσιν.
Μάρτυρ' ἰδοὺ χρυσοῦν τεῦχος τόδε. ἐξ ἀσαφείης
Τοῖς ἑρμηνευταῖς τοῖς ἔπεσ' εὗρεν ἴσοις.
Δὴ γὰρ πάντα πάρος νυκτὶ σκιόωντο μελαίνῃ,
Αἱ λέξεις, ὁ νόος, χ' ἡ κρυφίη μέθοδος.
Τὸν νοῦν, τὰς λέξεις μέγας ἐν ἰατροῖσι Γαληνός·
Τὴν μέθοδον Παῦλος νῦν ἐτράνωσε μόνος.

IS. CASAVBONVS.

IN PAV-



IN PAVLI OFFREDI SYLLOGISTICAS AD HIPpocratem lucubrationes.

Illum, illum, prisca Themidos quem sancta potestas,
Purpuraq; Augustæ quę venerata domus.
Qui mystes Charitum, & Sophiæ, Diuaq; salutis,
Maximus ingenio, maximus arte fuit:
Illum nempe tuæ coluere, Offrede, Camœnæ
Præcipuè: ingenium nec fuit arte minus.
Res ille, ast ausus rerum tu prodere causas,
Ausus naturæ tu reserare sinus. (alumna.
Hinc noctem, penè est quia nox breuitatis
Illustras breuibus, sed sine nocte, notis.
Denique (nec metuo verũ corrũpere verbis,
Blandirive pius ne videatur amor)
Auxilio venisse puta mortalibus ægris
Hippocratem: Hippocrati tu tamen Hippocrates.

IAC. LECTIVS.

PAVLO OFFREDO
MEDICINÆ DOCTORI.

OFFREDE, docti quem stimulat patris
Virtus, auitæ gentis & inclytum
Nomen per intentos labores
Sollicitum penetrare saltus

Abstrusiores, & rigidos specus,
Celsásque rupes, queis agitant suas
Musæ choreas, queis recludit
Dona fauens pretiosa Phœbus.

Hinc illa fluxit quæ decorat tuum
Doctrina pectus, quæ iuuenem impigrum
Impellit ægrotis mederi
Corporibus meliore ductu.

Hinc acre mentis iudicium libris
Obscuritates Pæonijs mouet,
Polítque præcepta Æsculapi,
Et methodo breuiore tractat.

Hæc cura honesta est, hoc studium probam
Decet iuuentam, si vegeta indolis
Maturior vis auget artes
Ingenuas, facilíque calle

Scientiarum tendere ad ardua
Delubra monstrat. Macte animo & bonis
Sudoribus prodesse perge:

Quanta

Quanta feres veniente seclo
olarum amicis commoda, si tibi
inarit ætas ingenium, & suis
Replere te pergant Camœnæ
Muneribus, Charitésque vultu
nant benigno: fundere sic solent
res adultis frondibus arbores
Fructus, & auctis largiores
Palmitibus dare vitis vuas.

IOANNES IACOMOTVS
BARRENSIS.

EIDEM.

Cquæ Camenarum aut Charitum soror
Non æuiternis Paulle tui ingenI
Applaudat ausis, Delphicósq;
niiciat capiti corymbos,
trioris famæ anademata?
ipse Cous, maxima Apollinis
Cura, & Stagirites superbo
lysium peragrant cothurno:
iore læti, manibus entheis
l Cremonæ quos decus inclytæ
Aspirat Offredorum amicus

Aoniis genius choreis.
Et Phœbus, & qui Philyrides suum
Chiron Achillem duxit in arduos
Asclepij lucos, sagacem
Vestræ animum coluêre gentis
Musis dicatum: pristinus heu vigor
Flaccet, nec illos nostra potis tuos
Cantasse longæuos honores
Vena, citis tua fama pennis
Pererrat orbem: mî liceat rudi
Dilecte nostrum Paulle melodiâ
Sanctissimum testari amorem,
Et meritas memorare grates.

IOH. IACOBVS GRASSERVS
BASIL. M. ET POETA C.

PAVLI

AVLI OFFREDI
MEDICI,

N PRIMAM HIP-pocratis Aphoriſmorum ſe-ctionem,

ɔmmentaria Aphoriſtica, ad methodum analyticam redacta.

ɔpocratis inſtitutum in toto apho-iſmorum opere, & Argumentum primæ ſectionis.

E X primo aphoriſmo, proœmij vicem ge-rente, liquidò conſtat Hippocratem in au- hoc opuſculo, medicinæ partes cipuas, maximéque difficiles

προγνωστικὴν *scilicet, ac* θεραπευτικὴν *compendiariò docere voluisse, quarum etiam prior in posteriorem, ceu in finem, dirigitur: scopus itaque primarius authoris, est circa* θεραπευτικὴν *versari, quod maximè in prima operis sectione præstat. Quoniã verò tota* θεραπευτικὴ *duob. absoluitur, inuentione nimirum auxilij, quæ dicitur, Quid agendum, & recta eiusdem administratione, quæ diuiditur in Quantum, Quomodo, Quando, & Vbi, vel Vnde agendum: insuper quia medicum omne auxilium & instrumentum, vel Diæteticum est, Pharmaceuticum, vel Chirurgicũ, Hippocrates in prima sectione, de his in genere consideratis aphoristicè, hoc est, non*

minùs

minùs solidè quàm breuiter edisserit.

APHORISMVS I.

O Βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solùm seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora.

COMMENT.

Ea est medicinæ præstantia & difficultas, ob [d]ignitatem, in primis subiecti, circa quod versa[t]ur, ac perennem eius mutabilitatem, vt artifi[c]em, non solùm in inuestigandis morborum [c]ausis rectam præsagiendi, curandíque rationem [e]xpeditantibus, solertissimum requirat, sed e[tia]m in officio ægris & assidentibus ritè præscribendo, externísque omnibus pari iudicio com-

parandis, eundem maximè prouidum & sollicitum desideret.

Omnis ars, in qua præceps est agendi occasio, experimentũ periculosũm, iudicium difficile, ad vitæ hominis decursum relata, lõga est, aphoristicam docendi rationem, & artificẽ requirens in iis omnibus oculatum quæ in proprium artis finem diriguntur.

Medicina est ars, in qua præceps est agendi occasio, experimentũ periculosum, iudicium difficile. Ergo

Medicina, ad vitæ hominis decursum relata, longa est, aphoristicam docendi rationem, & artificem requirens in iis omnibus oculatum quæ in proprium artis finem *sanitatem nempe* diriguntur.

APHOR. II.

ἘΝ τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρονται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. Οὕτω καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵη δεῖ γίνεσθαι, γίγνηται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον· ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

In perturbationibus ventris & vomiti-

mitibus ſpontaneis, ſi qualia oportet, purgentur, confert & facilè ferunt: ſin minùs, contrà. Sic & vaſorum inanitio, ſi qualem fieri oportet, fiat, confert & facilè ferunt: ſin minùs, contrà. Inſpicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, nec-ne.

COMMENT.

Cacochymiæ purgatio debetur: omnis autem purgatio medica tunc prodeſt ac facilè fertur, qùum noxios duntaxat humores amouet, non ſecus ac natura, cuius eſt medicus æmulator, ſpontaneas aliquando purgationes concitato motu, per vomitum aut per aluum ſalubriter molitur. Humores autem vitioſi per ſigna, à rebus naturalibus, non naturalibus, & p.n. petita cognoſci debent.

I.

Omnis naturæ operatio in ſanitatem tendens, homini vtilis & facilis, debet eſſe medico tanquam bene medendi norma: *Ars enim naturæ ſalubriter agentis imitatrix.*

Omnis ſpontanea purgatio per aluum aut per vomitum, noxios duntaxat humores vacuans, naturæ eſt operatio, in ſanitatem tendens, homini vtilis & facilis. Ergo

Omnis ſpontanea purgatio per aluũ aut per vomitũ, noxios duntaxat humores, vacuans debet eſſe medico tanquã bene medẽdi norma.

II.

Quæcunque medicum in humorum peccan-

tium cognitionẽ ducunt: ab eo diligenter cõsiderari debẽt, ne temerè purgationẽ instituat.

Regio, tempus, ætas, morbi ipsi: medicum in humorum peccantium cognitionẽ ducunt, *ceu eorum causa & signa.* Ergo
Regio, tempus, ætas, morbi ipsi: à medico diligenter considerari debent, ne temerè purgationem instituat.

APHOR. III.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν, αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέ τι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα, μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλερὸν γὰρ, ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί· καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι σφαλεραί.

Habitus athletarum perducti ad summum plenitudinis gradum periculosi, si in ex-

in extremo fuerint: neque enim possunt in eodem manere, neque consistere: cùm verò non consistant, nec possint in melius proficere, superest vt in deterius recidant. Quamobrem pleniorem habitum statim soluere expedit, vt corpus rursum nutriri incipiat: neque vasorum concidentiæ ad extremum ducendæ, periculosum enim, sed quatenus natura feret, eò vsque progredi oportet. Sic & extremæ vacuationes periculosæ, ac rursus refectiones quum extremæ fuerint, periculosæ.

COMMENT.

Sanguinis redundantiæ vehementi remedium debetur sanguinem valenter, id est subitò & confertim euacuans, cuiusmodi est venæ sectio: vt verò sanguis magis vel minùs redundauerit, ita pro virium ratione, maior vel minor eius copia detrahenda: in habitu enim iuuenili robustissimo, qualis athletarum, si plethora nobis occurrat omnino exquisita, & ad summum gradum euecta, eóque maximè lubrica, & periculi plena, hæc indicabit mittendum esse statim sanguinem copiosum: quod tamen ita fieri non conuenit vt vires, per mutationem ab vno extremo ad alterum subitò factam nimiùm exoluantur; rursúmq. in eisdem copiosiore alimento reficiendis, suffocationis periculũ immineat. Igitur si in athletis eâ mẽsurâ sanguis redũdãs educẽdus venit, cui ferendæ sufficit eorũ na-

tura, multò magis in cæteris minùs robuſtis corporibus eâdem cautione vtendum.

Omne nimiũ, corporibus vel robuſtiſſimis nocens ac periculoſum, ſic à medico eſt corrigendum aut vitandum, vt iuuentur ægri, ac facilè ferant.

Omnis vehemens ſanguinis redundantia, vel immodica etiã illius detractio, ſunt quid nimiũ, corporibus vel robuſtiſſimis nocens ac periculoſum. Ergo

Omnis vehemens ſanguinis redundantia, vel immodica etiã illius detractio, ſic à medico ſunt corrigendæ aut vitandæ, vt iuuentur ægri ac facilè ferant.

APHOR. IV.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακρῇσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι, χαλεπαί.

Victus tenuis & exquiſitus, in morbis longis ſemper, & in acutis, vbi non conuenit, periculoſus: & rurſus qui ad extremam peruenerit tenuitatem, difficilis: nam & repletiones ad extremum perductæ, difficiles.

COMMENT.

Viribus, ſeu virium ſubſtantiæ, ob calorem inter-

internum & externum perpetuò diffluenti, debetur alimentum: quia verò in ægris corporibus vires contra morbum pugnantes non sunt auocandæ, ideò quò morbus maiori cum impetu & periculo agit in vires, eò parciùs nutriendum, cùm præsertim morbus citò sit desiturus, viresque non minùs morbo debellando, quàm concoquendo pusillo alimento possint per breue tempus sufficere. Hinc sequitur victum simpliciter tenuem, solis morbis competere simpliciter acutis, qui ad vigesimam vsque diem pertingunt: exquisitè verò tenuem, solis exquisitè acutis morbis, qui diebus terminantur 14. conuenire. Sed vterque hic tenuis victus in quadam latitudine positus, quemadmodum iuxta variam imbecillitatem virium plus minùs augeri, ita iuxta varium ipsarum robur, plus minùs minui debet, siquidem eius latitudinis ambo extrema, quò magis à viriū statu dissonant, eò molestiora.

I.

Quicunque à victu, non solùm tenuissimo, sed etiā tenui læduntur: illis victus aliàs plenior aliàs inter hunc & tenuem medius, est concedendus.

Qui morbis laborant chronicis, vel ex prolapsu acutis, à victu non solùm tenuissimo, sed etiam tenui læduntur. Ergo

Qui morbis laborant chronicis, vel ex prolapsu acutis: illis victus aliàs plenior, aliàs inter hūc & tenuē medius est concedendus.

I I.

Omnis victus ægrotanti grauis & molestus vitari debet.

Tenuis victus in morbis acutis, viribus & morbo non correſpondés, *quòd præter modum accedat ad alterum extremorum ſua latitudinis*: ægrotanti eſt grauis & moleſtus. Ergo

Tenuis victus in morbis acutis, viribus & morbo non correſpondens, vitari debet.

Aphor. V.

Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, διὸ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γίνηται, μέγα γίνεται μᾶλλον ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι, καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῆς σμικρὸν ἁδροτέρου.

In tenui victu peccant ægroti, quò fit vt magis lædantur: quoduis enim peccatum grauius iu hoc fit quàm in paulò pleniore victu. Hac de cauſa ſanis etiam valdè tenuis, ſtatáque & exquiſita victus ratio periculoſa, quoniam errata grauiùs ferunt. Quare tenuis exactúſque victus periculoſior eſt, maxima ex parte, paulò pleniore.

COM-

COMMENT.

Aegra corpora ab omni errore in tenui victu magis læduntur quam in paulò pleniore, cùm & sanis, licèt robustioribus, idem accidat: ratio est, quia vt victus tenuis vires infirmat, sic paulò plenior confirmat, ad noxásque faciliùs ferendas parat. In morbis igitur acutis victu paulò pleniore vti expedit, quam tenuiore per totum scilicet morbi decursum.

Quicunque victus vires infirmando, errata quæuis ægrotantibus contingentia, grauiora reddiit, à medico est prohibendus: qui autem contraria præstat, imperandus.

Victus, per totum morbi decursum tenuior, quàm viribus & morbo conueniat: vires infirmando, errata quęuis ægrotantibus cõtingentia, grauiora reddit, paulò autem plenior contraria præstat. Ergo

Victus, per totum morbi decursum tenuior, quàm viribus & morbo conueniat: à medico est prohibẽdus: & paulò plenior imperandus.

APHOR. VI.

Ες δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται.

Extremis morbis, extrema exquisitè remedia, optima.

COMMENT.

Quemadmodum extremis morbis, extrema remedia proportione respondent, ita victus illis conuenit summè tenuissimus, qualis inedia: Hæc verò, quæ mera priuatio est, à nullo pro-

priè indicatur, ſed morbo conuenit maxima vi agenti, omnéque alimentum à viribus indicatũ prohibenti: ipſæ autem vires, non vſque adeò infirmæ, hanc citra periculum inediam tantiſper ferunt, donec aliò non auocatæ, perbreuem furentis illius morbi impetum fregerint.

Quæcunque in aliud quidpiam, ceu aduerſariũ debellandum diriguntur: aduerſarij vehementiæ vim ſuperiorem debent opponere.
Remedia & virtus, in morbum, ceu aduerſarium debellandum, diriguntur. Ergo
Remedia & virtus morbi vehementiæ vim ſuperiorem debent opponere.

Quare extremis morbis, non ſolùm extrema remedia optima, ſed victus quoque in extremo tenuiſſimus eſt peridoneus, ob rationem ſuperiùs allatam in com. quarti aphor.

APHOR. VII.

Ὅκου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νούσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Quum itaque morbus peracutus eſt, extremos protinus labores habet, ſumméque tenuiſſimo victu eſt vtendum: quum

quum verò non, ſed pleniorem victum licet exhibere, tantum à ſummè tenuiſſimo recedendum, quanto morbus extremis eſt remiſſior.

COMMENT.

Vt morbus exquiſitè peracutus, diem quartam pro termino habens, grauiſſimáque ſtatim inuehens ſymptomata, omne alimentum à valida virtute indicatum prohibet, vnde cogitur medicus aut inediam per illud tempus ægris imperare, aut melicratum, vel tale quid concedere, ab exquiſitè tenuiſſimo victu non alienum: ita morbus ſimpliciter peracutus, diem ſeptimam non peruadens, maximam duntaxat partem alimenti à viribus indicati prohibet, ac tenuiſſimum ſimpliciter victum permittit, cuiuſmodi eſt cremor hordei, ius pulli, aut quid ſimile, plus minùs nutriens pro virium tolerantia: quantò autem morbus erit peracuto remiſſior, tantò minùs tenuem, ſeu pleniorem victum permittet.

Omnes affectus in extremorum latitudine cõprehenſi, victum poſtulant tenuiſſimum, pro ratione maioris vel minoris eorum vehementiæ

Omnes morbi peracuti, ſunt affectus in extremorum latitudine comprehenſi. Ergo

Omnes morbi peracuti, victum poſtulant tenuiſſimum, pro ratione maioris vel minoris eorum vehementiæ.

APHOR. VIII.

Ὁκόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

Quum morbus in suo vigore constiterit, tunc tenuissimo victu est vtendum.

COMMENT.

Non solùm totus morbus, sed multò magis eius vigor per se, victum à viribus indicatum imminuit, ac certis limitibus circumscribit: dum enim natura tota est in suprema morbi ferocia comprimenda, materiáque morbifica coquenda, non licet oblato cibo illam ab opere tam vrgenti auertere: quare in statu est vtẽdum victu tenuissimo, relatiuè scilicet ad alia tempora morbi eiusdem. Id verò de sanabili tantùm intelligi oportet, quippe lethalis nec tenuissimo victu quomodolibet accepto, nec aliis indiget extremis auxiliis.

Quotiescunque natura in oppugnando morbo maximè laborat, victu tenuissimo vti conuenit, relatiuè ad alia morbi tẽpora, *ne labore gemino defatigata succumbat.*

Quũ morbus ad statum peruenit, natura in oppugnando morbo maximè laborat. Ergo

Quum morbus ad statum peruenit, victu tenuissimo vti conuenit, relatiuè ad alia morbi tempora.

APHOR. IX.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν

ἀκμὴν τῆς νόσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νόσος πρότερον ἀπαυδήσει, καὶ ἀμβλυνεῖται.

Coniecturam autem ex ægro facere oportet, an is cum præſcripto victu perſtet ad morbi vſque vigorem, á ive priùs deficiat ., & cum tali victu ſucumbat, quàm cedat morbus,& obtundatur.

COMMENT.

In ſtatu victus tenuiſſimus, reſpectu aliorum eiuſdem morbi temporum, rectè præſcribi nequit, niſi priùs ab eius initio ad ſtatum vſque æger pro ratione virium conuenienter nutriatur. Vna igitur ex parte virium efficacia in indicando, ex altera parte vis morbi in circumſcribendo alimento,debent velut in trutina expendi,vt primo ſtatim ægrotationis initio victum idoneū inſtituamus:ſic enim ad morbum in ſtatu profligandum natura commodè iuuabitur.

Quicquid neceſſariò requiritur, vt ægra corpora in morbi vigore tutò & commodè victum perferant,comparatè ad alia eiuſdem morbi tempora tenuiſſimum,illud debet maturè & inchoante morbo á medico ritè præſcribi,ne virtus aut ante ſtatum ,aut in ipſo ſtatu ſuccumbat.

Victus,pro virium ac morbi ratione conueniēs,initio ægrotationis offerēdus,neceſſariò requiritur, vt ægra corpora in morbi vigore tutò & cōmodè victum perferant, cōparatè ad

alia eiusdem morbi tempora tenuissimum.

Ergo

Victus, pro virium ac morbi ratione conueniés, initio ægrotationis offerendus, debet maturè & inchoante morbo à medico ritè præscribi ne virtus aut ante statum, aut in ipso statu succumbat.

APHOR. X.

Ὁκόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾷν· ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾷν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quibus itaque vigor statim futurus est, tenuiter statim alere oportet: quibus autem posteriùs, & in ipso vigoris tempore, & paulò sub ipsum, de victu demēdum: anteà verò pleniùs alendum, vt ægrotus perferre queat.

COMMENT.

Vt morbi vigor citiùs tardiúsve aduenturus est, ita quum morbus incipit, vel tenuissimo vtendum victu, vel magis minúsve tenui, vt superiùs dictum fuit: vnde sequitur toto eo tempore quod inter morbi initium & vigorem intercedit, demendum semper aliquid esse paulatim de victu: contrà verò post vigorem transactum, semper aliquid paulatim addendum, pro virium tolerantia. Cogimur tamen aliàs in augmento

mento plus offerre cibi quàm in principio, vt si quis ex crapula morbo corripiatur : alias in statu plus quàm in augmento, quum scilicet vires propter vehemens aliquod symptoma resoluuntur.

Si in maximo naturæ conflictu cum morbo, victu relatiuè tenuissimo vti conuenit, vt probatũ fuit superiùs: necessariò sequitur, ab initio morbi ad vigorem vsque, detrahendũ semper esse aliquid paulatim de victu, cõtrà verò post vigorem semper aliquid paulatim addendum.

Consequentia est manifesta, ne scilicet ab vno extremo ad alterum subita fiat mutatio.

APHOR. XI.

Ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή. τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

In ipsis tamen exacerbationibus cibũ adimere oportet: nam præbere noxium. Et quum per circuitus redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.

COMMENT.

Hic aphorismus ad morbos pertinet, tam continuos, vicissímque incrementum ac decrementum habentes, quàm intermittentes, & variis constantes periodis, cuiusmodi potissimùm sunt febres. Docet ergo in ipsis morborum exacerbationibus, aut paroxysmis, (quæ particularia sunt morborum tempora) inediam ægris imperandam, ne scilicet natura strenuè cum morbo pu-

gnam committens, à πταισμῷ ad πέψιν auocetur, intereáque morbus inualescat. Hac de causa, si morbus sit continuus, vel paroxysmos habeat inordinatos, aut cum interuallo breui, cibus in declinatione offerendus: sin intermittens fuerit cum determinatis paroxysmis, longúmque habeat interuallum, cibum in interuallo dare oportet: ita vt semper hora pastus à futuro incremento vel paroxysmo tantum distet, quantum coquendo cibo, colligendísque, si fieri possit, per somnum viribus satis videatur. Excipe si vires ob inanitionem collabantur: tunc enim & initio paroxysmi, & in ipso statu, multóque magis in declinatione, non expectato interuallo, cibum dare cogimur: siquidem eo casu plus vrget virtus in indicando alimento, quàm morbus in prohibendo.

Quoties natura pugnat acriter cum morbo, cauendum ne oblatione cibi ab ea pugna distrahatur.

In morbi vigore, vti dictum est, & in exacerbationibus quoque ac morborum paroxysmis, natura pugnat acriter cum morbo. Ergo

In morbi vigore, vti dictum est, & in exacerbationibus quoque ac morborum paroxysmis, cauēdum ne oblatione cibi natura ab ea pugna distrahatur.

Excipe si à vehementi aliquo symptomate spiritus resoluantur.

APHOR. XII.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς, καὶ τὰς καταστάσιας

σιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλους ἀντιποδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι, πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει. ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Acceſſiones verò & conſtitutiones morborum, indicabunt tum morbi ipſi, tum anni tempora, tum periodorum proportionis inter ſe obſeruatio, ſiue ex quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue maiore interuallo fiant. Sed & ex iis quæ mox apparẽt indicia ſumuntur, velùt in pleuritide ſputum ſi ſtatim initio appareat, breuem fore denuunciat: ſi verò poſteriùs conſpiciatur, longam. Quinetiam vrinæ, alui fæces, ſudores, & iudicatu faciles aut difficiles, & breues aut longos morbos fore, quum ſuperueniunt, demonſtrant.

COMMENT.

Cuiusque morbi futurum statum, exacerbationésque & inuasiones citiùs tardiúsve redituras monstrabunt ipsæ morborum species ac ideæ, pathognomonicis signis necessariò stipatæ, periodorum item proportiones inter se, anni tempora, tandem etiam signa ἐπιφαινόμενα, hoc est, mox apparentia nuncupata, quorum alia decretoria, alia coctionis cruditatísve indicatiua, quædam etiam salubria, nonnulla lethalia. De his signis plura Gal. super hoc aphorismo.

Quæcunque ducunt medicum in cognitionem tum vigoris morbi, tum exacerbationum & paroxysmorum, à quibus viuendi ratio ægris conueniens desumitur: ea debent à medico diligenter considerari.

Anni tempora, morbi ipsi, periodorum proportiones &c. ducunt medicum in cognitionem tum vigoris cuiusque morbi, tũ exacerbationum & paroxysmorum, à quibus viuendi ratio ægris conueniens desumitur. Ergo

Anni tempora, morbi ipsi, periodorum proportiones &c. debent à medico diligenter considerari.

APHOR. XIII.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. τουτέων δὲ αὐτέων ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑαυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Senes

Senes facillimè ieiunium ferunt: secundo loco qui' ætatem consistentem agunt, minùs adolescentes, minimè omnium pueri, præsertim qui ex eis sunt viuidiores.

COMMENT.

Ab ætate, cæterísque rebus naturalib', imò & ab aëre, quatenus hęc vires ægrotantiũ plus minùs durabiles designant, tenuiores vel pleniores diætæ solent præscribi. Nam, vt loquamur de ætate, qui primum senium percurrunt, à 49. ætatis anno ad 63. inediam facillimè ferunt, tum quòd ab eorum corporibus siccioribus ac diminutè calidis, non multùm substantiæ diffluit, tum quia dulcis in eis abundans pituita facilè in sanguinem mutatur: his de caussis senes parùm cibi appetunt, & sine noxa ieiunium tolerant: secundo loco qui consistentem ætatem agunt, à 35. anno ad 49. primo senio proximi: tertio loco iuuenes, ab anno 25. ad 35. minùs his adolescentes ab anno 14. ad 25. minimè omnium pueri ab ortu scilicet ad annum 14. & ex his potissimùm viuidiores, vt in quibus calor plurimus in mollissimam agit substantiam: hinc & effluuium copiosissimum, & appetentia ferè inexplebilis, difficillimáque ieiunij tolerantia.

APHOR. XIV.

Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν· πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν· διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑ-

πεκκαυμάτων δέονται. ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες· ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus conſumitur: ſenibus verò parum calidi ineſt, paucis propterea fomitibus egent, ſiquidem à multis extinguitur. Ob eandem cauſam ſenibus febres perinde acutæ non fiunt, frigidum enim eorum corpus.

COMMENT.

Probatio eſt præcedentis aphoriſmi, tribus comprehenſa ſyllogiſmis. Primus eſt demonſtratio à priori:

I.

Quicunque habent plurimum calidi natiui, copioſo egent alimento.
Qui creſcunt, plurimum habent calidi natiui.
Ergo
Qui creſcunt, copioſo egent alimento.

Maior ab Hippocrate probatur his verbis, *alioquin corpus conſumitur*, propter copioſum ſcilicet effluuium à ſubſtantia molliſſima, in quam validus calor agit: non ſecus ac lucernæ flamma grandior, ſi minùs olei quàm par ſit, affundatur, marceſcit. Minor propoſitio à Gal. probatur: nam qui creſcunt, proximi ſunt principiis generationis, in calido & humido poſitis. Secundus item ſyllogiſmus eſt à priori.

II. Qui-

II.

Quicunque parum habent calidi innati, pauco egent alimento.
Senes habent parum calidi innati. Ergo
Senes pauco egent alimento.

Maior probatur ab Hippocr. *quia à copioso extinguitur*, non secus ac pusilla lucernæ flamma, affuso oleo copiosiore. Minor à Gal. probatur, quia nimirum senes à principiis generationis longo distant interuallo, quò fit vt ab eorum corporibus frigidis & siccis, exiguum quid effluat, exiguo alimento reparandum. Tertius syllogismus, quo senilis frigiditas confirmatur, est à posteriori.

III.

Quæcunque corpora parùm habent humoris calidi, nec obnoxia sunt febribus acutis, sunt frigida.
Senum corpora parùm habent humoris calidi, nec obnoxia sunt febribus acutis. Ergo
Senum corpora sunt frigida.

APHOR. XV.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι· ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι, καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. Τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. σημεῖον αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ ἀθληταί.

Ventres hyeme ac vere naturâ cali-

diſſimi, & ſomni longiſſimi : per ea igitur tempora plus cibi dare oportet, ſiquidem plus natiui caloris habent, vnde & pluribus egent alimentis: indicio ſunt ætates & athletæ.

COMMENT.

Quocunque tempore natiuus calor fortior eſt, magíſque in viſceribus abundat, & actiones omnes naturales meliùs obit : plus cibi dare oportet ſanis corporibus.

Hyeme & vere, natiuus calor fortior eſt, magíſque in viſceribus abundat, & actiones omnes naturales meliùs obit. Ergo

Hyeme & vere plus cibi dare oportet ſanis corporibus.

Maior eſt manifeſta: vt enim calidum ingenitum efficax & copioſum conſeruetur, obiectum requirit in quod agat, ſibi proportione reſpondens: indicio ſunt athletarum & adoleſcentium corpora. Minor ex eo probatur, quòd hyeme & vere, propter ambientis frigiditatem, ſomnóſque longiſſimos, naturalis calor & magis concentratur, & minùs reſoluitur: quocirca maiores vires nactus, longè meliùs cõcoquit & excernit.

APHOR. XVI.

Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, μάλιστα δὲ παιδίοισι καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

Victus

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & aliis qui tali victu vti consueuerunt.

COMMENT.

Morbi, & res aliæ præter naturam, indicant cibi qualitatem contrariam, à qua cibus dicitur medicinalis, seu medicatus: exempli gratia, febris, vt corpus exsiccat, victum indicat humectantem: virtus autem, quæ debet similibus cõseruari, prout in substantia residet molli atque humida cuius signum est ætas puerilis, vel humidorum consuerudo, eundem victum coindicat. Sunt & alia, quæ per mediam virtutem, cibi qualitatem similem aut contrariam præscribere possunt, vt anni tempus, regio, indiuidua proprietas, & huiusmodi.

Quicquid febris actionem retundendo, naturalem ægrotantium puerorum, vel aduentitiam nonnullorum temperiem fouet: illud febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & iis quorum temperamento ex humidorum consuetudine acquisito respondet.

Victus humidus, febris actionem retundendo, naturalem ægrotantium puerorum vel aduentitiam nonnullorum temperiem fouet.

Ergo

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & iis quorum temperamento ex humidorum consuetudine acquisito respondet.

APHOR. XVII.

Καὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ πλείω ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει.

Quibus etiam ſemel-ne,an bis,& plus minúſ-ve, & gradatim præbere cibum conueniat,ſpectandum. Dandum verò aliquid tempori, regioni, ætati, & conſuetudini.

COMMENT.

Hactenus de victu plus minùs nutriente, de cibi quantitate in genere, ac de eiuſdem qualitate verba fecit. Nunc de cibi quanti & qualis partitione loquitur: an ſcilicet ſemel, bis, aut pluries, die vel nocte, cibum ægro dare conueniat: & pro varia partitione, an plus minúſve cibi vno in paſtu ſit dandum. Iſtud partim à validiore ſumitur, vel imbecilliore virtute, partim ab humoribus quantitate vel qualitate peccantibus: nam ſi humores deficiant, ſitque virtus valida ſecundùm ſolida, ſæpe & multùm nutriendum: ſin vires ſint debiles, ſæpe ac parùm: quòd ſi humores exuberent cum debili virtute, raró & parum alimenti offerri debet: cum valida autem virtute, cibus omnis interdicendus. At ſi humores qualitate peccauerint emendabili, cibum indicant medicatum, copioſiorem, vel minùs copioſum, ſæpiúſque vel rariùs exhibendum, pro peccati magnitudine, &

robore

robore virium in conficiendo alimento.

Quæcunque ad hoc faciunt, vt iis probè cognitis possit medicus ægris exhibere cibaria eâ quantitate & partitione qua prosint quàm maximè, siue nutriendo, siue alterando: illa diligenter considerari debent à medico, deliberante an semel aut bis, & plus minúsve, & quàm minutatim alere conueniat.

Vires plus minùs validæ, morbíque à varia humorum quantitate & qualitate oriundi, nec non anni tempus, regio, ætas, & consuetudo, ad hoc faciunt, vt eis probè cognitis possit medicus ægris exhibere cibaria eâ quantitate & partitione qua prosint quàm maximè, siue nutriendo, siue alterando. Ergo

Vires plus minùs validæ, morbíque à varia humorum quantitate & qualitate oriundi, nec non anni tempus, regio, ætas, & consuetudo, diligenter considerari debent à medico, deliberante an semel aut bis, & plus minúsve, & quàm minutatim alere conueniat.

Aphor. XVIII.

Θέρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρουσι χειμῶνος ῥήϊστα, ἦρος δεύτερον.

Aestate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, vere minùs.

COMMENT.

Quocunque tempore difficiliùs ægra corpora cibos ferunt, eo parciùs frequentiúsque sunt eis administranda cibaria: & quo faciliùs cibos

conficiunt,eo copiosiùs & rariùs,habita semper virium & morbi ratione.

Aestate difficillimè,autumno minùs difficulter, hyeme facillimè, vere minùs facilè, ægra corpora cibos ferunt. Ergo

Aestate parcissimè & frequentissimè,autumno minùs parcè ac minùs frequenter, hyeme copiosiùs & rariùs, vere minùs copiosè, nec ita rarò sunt ægris administranda cibaria, habitâ semper virium & morbi ratione.

APHOR. XIX.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι, μηδ᾽ ἀναγκάζειν, ἀλλ᾽ ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρισίων.

Quibus per statos circuitus accessiones fiunt, nihil dare, nec cogere, sed demere ante iudicationes.

COMMENT.

Quamuis cibus medicatus,ratione primarum & secundarum qualitatum à morbo indicetur, vt ideò videri possit tunc maximè exhibendus quum morbus ingruit, aut circa crises exacerbatur:nihilominùs tamen à cibo abstinendum est in morborum paroxysmis & crisibus: quòd si vires alimenti penuria videantur exolui, tunc instante etiam iudicatione, medicatum cibum dabimus, de iusta tamen eius quantitate plurimùm detrahentes.

Quicquid in paroxysmis & crisibus, naturæ acriter pugnanti contra morbum, maius damnum

num infert quàm iuuamentum: omnino per totum illud conflictationis tempus vitari debet.

Cibus omnis, etiam medicatus, in paroxyſmis & criſibus, naturæ acriter pugnanti contra morbum, maius damnum infert quàm iuuamentum. Ergo

Cibus omnis, etiam medicatus, omnino per totum illud conflictationis tempus vitari debet.

Minor probatur: nullus enim cibus, etiã medicatus, agere poteſt in morbum vt par eſt, niſi regatur à natura: regi autem commode nequit à natura in debellando morbo maximè occupata, neque illa eſt ab opere tam ſerio reuocanda.

APHOR. XX.

Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν.

Quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, ſeu medicamentis, ſeu aliis irritamentis fiat, ſed ſinere.

COMMENT.

Hippocrates rectam pharmaceutices adminiſtrationem aggreſſurus, monet primùm in hoc vigeſimo, naturam ipſam aliquoties tam appoſitè noxios humores foras pellere, vt nec in ipſo expellendi conatu atque opere, nec etiam

poſtea medico auxilio indigeat.

I.

Nullum opus quod perfectè fit à natura, vt ab agente primario, debet vllis medicamentis aut aliis irritamentis à medico perturbari.

Multæ criſes perfectè fiunt à natura, vt ab agente primario. Ergo

Multæ criſes non debent vllis medicamentis aut aliis irritamentis à medico perturbari.

II.

Quia verò oppoſitorum eadem diſciplina.

Omne opus quod imperfectè fit à natura, debet à medico adiuuari, vt naturæ adminiſtro.

Multæ criſes imperfectè fiunt à natura. Ergo

Multæ criſes debent à medico adiuuari, vt naturæ adminiſtro, *ſiue id medicamentis fiat, ſiue aliis irritamentis.*

APHOR. XXI.

A δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

Quæ educere oportet, quò maximè vergunt, eò ducere conuenit per loca conferentia.

COMMENT.

Si natura non expellit perfectè & opportuno tempore noxios humores, debet medicus eorum euacuationem per ea loca moliri ad quæ tum partium affectarum expultrix, tum ipſi humores peccantes inclinant, per quæ etiam loca in ſpontaneis euacuationibus & criſibus conſueuit

ſueuit natura ſeſe feliciter exonerare.

I.

Omnis euacuatio naturalis, corporibus ægris conferens, debet eſſe medico typus & exemplar euacuationis artificialis inſtituendæ.

Omnis purgatio ſpontanea, noxios tantùm humores detrahens, per idonea loca, id eſt, ignobilia, peruia, ſana, ad quæ tum partium affectarum expultrix, tum ipſi humores peccantes inclinant: eſt euacuatio naturalis, corporibus ægris conferens. Ergo

Omnis purgatio ſpontanea, noxios tantùm humores detrahens, per idonea loca, id eſt, ignobilia, peruia, ſana, &c. debet eſſe medico typus & exemplar euacuationis artificialis inſtituendæ.

Hinc à ſenſu contrario.

II.

Omnis vitioſa naturæ operatio, eſt à medico, quantum fieri poteſt, corrigenda & in melius mutanda.

Omnis purgatio quæ à natura fit per incommoda loca, ad quæ nec humores purgandi, nec partes affectæ inclinant, eſt vitioſa naturæ operatio. Ergo

Omnis purgatio quæ à natura fit per incommoda loca, ad quæ nec humores purgandi, nec partes affectæ inclinãt, eſt à medico, quãtũ fieri poteſt, corrigẽda, & in melius mutãda.

Hoc fiet reuulſione ad remota & contraria

loca, vel etiam deriuatione ad vicina.

APHOR. XXII.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Concocta medicari, ac mouere, non cruda, neque in principiis, nisi turgeant: vt plurimùm verò non turgent.

COMMENT.

Agitur hìc de tempore ad purgandum vitiosos humores opportuno.

I.

Omnes materiæ, quæ cum ægri iuuamento & facili tolerantia cedunt purgantibus remediis, & instar maturorum fructuum promptè auelluntur: debent aut per aluum purgari, aut per alias corporis regiones moueri.

Concocti humores, sunt materiæ quæ cum ægri iuuamento ac facili tolerantia cedunt purgantibus remediis, & instar maturorum fructuum promptè auelluntur. Ergo

Concocti humores debent aut per aluum purgari, aut per alias corporis regiones moueri.

Et à sensu contrario.

I I.

Nullæ materiæ, quæ difficulter cedunt remediis euacuantibus, & instar acerborum fructuum, vix auelluntur, sunt mouendæ per aluum, aliasve regiones, sed coquendæ priùs quàm euacuentur.

Humores

Humores quieſcentes crudi, coctiles tamen, ſunt materiæ quæ difficulter cedunt remediis euacuantibus, & inſtar acerborum fructuum vix auelluntur. Ergo

Humores quieſcentes crudi, coctiles tamen, non ſunt mouendi per aluum, aliáſ-ve regiones, ſed coquendi priuſquàm euacuentur.

III.

Omnis materia quæ ſiue cocta fuerit, ſiue cruda, magnum præcépſque aliquod periculum ægro minatur, ſubitò purgari debet, *modò nullum adſit prohibens, vt habetur 24. aphor. huius ſect.*

Humor turgens vel furioſus, eſt materia quæ ſiue cocta fuerit, ſiue cruda magnũ præcépſq; aliquod periculum ægro minatur. Ergo

Humor turgens vel furioſus, ſubitò purgari debet.

Aphor. XXIII.

Τὰ χωρέοντα, μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ καὶ φέρει εὐφόρως, καὶ ὅκου δεῖ, μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Deiectiones non multitudine æſtimãdæ, ſed ſi quæ oportet deiiciantur, & facilè ferant. Atque vbi ad animi deliquium educere conuenit, faciendum, ſi æger ferre poſſit.

COMMENT.

I.

Omne pręter naturam, certa quantitate & qualitate lædens, eò vſque eſt euacuandum vt tota eius noxa ceſſet, ægérque facilè ferat.

Cacochymia eſt res præter naturam, certa quãtitate & qualitate lædens. Ergo

Cacochymia eò vſque eſt euacuanda vt tota eius noxa ceſſet, ægérque facilè ferat.

II.

Si præſentia humoris determinata qualitate & quantitate peccantis innoteſcit medico, tum ex propriis ſignis illius humoris, tum maximè ex certa ægri conflictatione: neceſſariò ſequitur eiuſdem humoris abſentiam, ſeu perfectam euacuationem, non ex deiectorum multitudine, ſed tum ex qualitate humoris deiecti, tum maximè ex ægri leuamẽto atque εὐφορία eſſe cognoſcendam.

Conſecutio eſt conſpicua: verum etiam antecedens. Ergo & conſequens.

Eapropter in omni copioſa euacuatione inſtituenda neceſſe eſt habere virium rationem, a quibus euacuationis menſura, ab humoris actione indicata, circumſcribitur, & vtrum ſemel fieri, an in duas vel tres partiri debeat, definitur: vt in educendo ſanguine per venam ſectam, licèt eius redundantis actio adeò fuerit vehemens, vt indicet miſſionem ſanguinis faciendam vſque ad leipothymiam, hæc tamen adeò copioſa euacuatio, ſi vires repugnent, non ſimul & ſemel, ſed repetitis vicibus erit adminiſtranda, vt patet ex aphor. 3 huius ſect.

APHOR.

APHOR. XXIV.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

In morbis acutis rarò, & per initia medicamento purgante vtendum est, idque diligenti cum præmeditatione facere oportet.

COMMENT.

Quotiescunque materia cruda sic turget, vt naturam ad excretionem sui proritet, nec vllum adest prohibens, medicamento purgante vtendum est.

Nonnunquam acutorum morborum initio, primis scilicet tribus diebus, materia cruda sic turget, vt naturam ad excretionem sui proritet, nec vllum adest prohibens. Ergo

Nonnunquam acutorum morborum initio, primis scilicet tribus diebus, medicamento purgante vtendum est.

Prohibentia porrò crudæ materiæ, quamuis turgentis, purgationem, sunt, febrilis caloris insignis vehementia, præsertim cum vrinis igneis ac tenuissimis, crassarum viscidarúmque cruditatum copia cum viscerum obstructione, magna hypochondriorum distentio à flatibus, aliáque huiusmodi propter quæ maius à pharmaco periculum impendet quam iuuamentum speretur.

Aphor. XXV.

Ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δ᾽ ἐναντία, δυσχερῶς.

Si qualia oportet, purgentur, confert ac facilè ferunt: ſi contraria, difficulter.

COMMENT.

Eiuſdem planè ſententiæ inartificioſa repetitio tanto authori ſcribenti aphoriſmos, videtur parùm conuenire; quamobrem vt ſectionis huius aphoriſmus ſecundus pertinet in primis ad quid agendum in medicinæ parte pharmaceutica, ita poſtremus hic pro compendio breuiſſimo totius curatricis eſt habendus, ac ſi diceret: ſi praui humores morbum facientes, dum natura in eis expellendis manca eſt, à medico per idonea loca, opportuno tempore, debita quantitate, ſeruatis ſeruandis, purgentur: huiuſmodi purgatio confert ægro, ac facilè fertur, ſin ſecus fiat, difficulter: pari ratione in detrahendo redundante ſanguine, inſtituendóque ægris victu, ſi medicus à præceptis traditis, non recedat, nullus ab ægro, aſſidentibus, aut externis contingat error, morbúſque ſit ſanabilis, ægri ſine dubio meliùs habebunt, & ſani fient.

PRIMÆ SECTIONIS

FINIS.

PAVLI OFFREDI MEDICI,

IN SECVNDAM HIPpocratis Aphoriſmorum ſectionem,

Commentaria Aphoriſtica, ad methodum analyticam redacta.

Argumentum ſectionis.

MVLTA *docet ad prænotionem ſpectantia, quorum pleraque à rebus non naturalibus deſumuntur, non pauca à naturalibus, & ab iis quæ præter naturam. De diebus item decreto-*

riis fit sermo, & quædam interseruntur ad curationem attinentia, cui prænotio famulatur.

APHOR. I.

Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον· ἢν δ' ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

Quo in morbo somnus laborem facit, lethale: si verò iuuat, non lethale.

COMMENT.

Quicquid certo morbi tempore solitum ægrotantibus magnoperè prodesse, eo ipso tempore maximè nocet, aut pro more iuuat: illud signum est aliàs lethale, aliàs salubre.

Somnus in particularibus morborum decrementis, solitus ægrotantibus magnoperè prodesse, aut eo ipso tempore maximè nocet, aut pro more iuuat. Ergo

Somnus in particularibus morborum decrementis, signum est aliàs lethale, *quando nocet*, aliàs salubre, *quando iuuat*.

Maior ex eo pendet, quod quicquid certa firmáque ratione debet ægrum iuuare, si valdè noceat, indicio est res naturales in ægro illo corpore, præ vehementia præternaturalium, maximè perturbatas esse ac velut euersas: contrà si iuuet.

Minor probatur: nam calor naturalis intro

per

per somnum receptus, in particularibus morborum salubrium decrementis, πεπασμὸν inchoatum perficit, dolores demulcet ac sedat, fluxiones, inflammationésque corrigit, ac vires instaurat. Meritò igitur vbi contraria eueniunt, quia idem calor in visceribus collectus, morbi causas irritat cùm eas superare non valeat, mors præsagienda. Porrò in statu particulari, etiamsi somnus ægrum læserit, non æquè est perniciosum, minùs in augmento, minimùm in principio.

APHOR. II.

Ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν.

Vbi somnus delirium sedat, bonum.

COMMENT.

Quicquid ægrum iis morbi temporibus pro more iuuat, quibus iuuare solet: bono est.

Somnus in postremo paroxysmorum augmento nonnihil, in statu magis, in declinatione maximè, dolorem aut delirium sedans, ægrum iis morbi temporibus pro more iuuat, quibus iuuare solet. Ergo

Somnus in postremo paroxysmorum augmento nonnihil, in statu magis, in declinatione maximè, dolorem aut delirium sedans, bono est.

APHOR. III.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν.

Somnus & vigilia, modum si excesserint, malum.

COMMENT.

Quæcunque per se lædunt, aliáque lędentia patefaciunt: mala sunt vt causæ & vt signa.

Somnus & vigilia modum si excesserint, per se lædunt, aliáque lædentia patefaciunt. Ergo

Somnus & vigilia, modum si excesserint, mala sunt vt causæ & vt signa.

Probatur minor, quia diuturnior somnus nō modò cerebrum arguit humidius aut etiam frigidius, sed has etiam qualitates augendo, torporem toti corpori conciliat: immodica autem vigilia, non ab animi vel corporis molestia, præter id quod calidioris sicciorisve cerebri indicium est, easdem etiam qualitates adauget.

APHOR. IV.

Οὐ πλησμοναὶ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν ὅ, τι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum excedat, bonum.

COMMENT.

Quæcunque à morbis vel morbificis causis dependent, mala sunt signa, morbos vel causas morbificas denotantia.

Satietas seu deiecta appetentia, fames item immodica, aliáque id genus, naturæ modum excedentia:

cedentia: à morbis vel morbificis caufis dependent. Ergo

Satietas, feu deiecta appetentia, fames item immodica, aliáque id genus naturæ modum excedentia, mala funt figna, morbos vel caufas morbificas denotantia.

Maior patet, orta enim atteftantur fuis principiis.

Minor eft manifefta, quoniam infignis functionum læfio, aliáque fymptomata à naturali ftatu remota, non nifi à morbis aut morbificis caufis proueniunt, funt enim eorum effectus.

APHOR. V.

Κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους.

Spontaneæ laffitudines morbos denunciant.

COMMENT.

Omnes prauæ affectiones à plethora, cacochymia, vel ab vtraque caufa pendentes, morbos denunciant.

Spontaneæ laffitudines, funt prauæ affectiones à plethora, cacochymia, vel ab vtraque caufa pendentes. Ergo

Spontaneæ laffitudines morbos denunciant.

Maior patet, quia praua affectio via eft in morbum, feu morbus in fieri: illud verò quod eft in fieri, perficietur, affectióque mutabitur in affectum, nifi plethoræ, cacochymiæ, vel vtrifque morbũ faciẽtibus prõptè occurramus.

Minor quoque nota eft: laffitudines enim non funt affectus, fed affectiones à vaporibus vel fuccis mufculos occupantibus profectæ, fiue

huiusmodi succi à redundante sanguine, siue à prauis humoribus, siue ab vtraque causa sint oriundi. Gal. in com. huius aph. & 2. de sympt. causis, 5.

APHOR. VI.

Ὁκόσοι πονέοντες τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

Quicunque parte aliqua corporis dolentes, dolorem ferè non sentiunt, iis mens ægrotat.

COMMENT.

Quotiescunque obiectum violentum agendo in partem tactu præditam, magna vi soluit eius continuum, absque quod ab ægro vix percipiatur: mens ægrotat.

Quum inflammationes, erysipelata, carbunculi, aliíque id genus morbi adsunt in corpore, cum nullo ferè doloris sensu: tunc obiectum violentum agendo in partem tactu præditam, magna vi soluit eius continuum, absque quod ab ægro vix percipiatur. Ergo

Quum inflammationes, erysipelata, carbunculi, aliíque id genus morbi adsunt in corpore, cum nullo ferè doloris sensu, mens ægrotat.

Maior probatur, quoniã nil sentiri potest nisi concurrente animaduersione & iudicio facultatis internæ cognoscentis, hoc est sensus communis: ob eius verò essentialem nexum cum phantasia, in quam sensus omnes subordinantur, necessariò fit vt dum phantasia vel aliæ principes

cipes facultates malè habent, quemadmodum in deliriis, ſenſus etiam communis in conſenſum trahatur, túncque omnis animaduerſio circa ſenſilia obiecta, omnéque de ſenſilibus iudicium ferè aboleantur. Ex his colligimus γνώμην ſeu mentem hîc ſumi ab Hipp. pro quacunque interna facultate cognoſcente.

APHOR. VII.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, ſenſim reficere oportet: quæ verò breui, citò.

COMMENT.

Omnia corpora copioſi alimenti indiga, quæ facultates naturales attritas habent, maximè concoctricem, debent longo tempore ac ſenſim refici: quæ verò eaſdem validas obtinent copioſiùs ſunt alenda, & pro virium ratione citò reficienda.

Extenuata conualeſcentium corpora, copioſi alimenti ſunt indiga, & quæ talia ſunt à longo morbo, facultates naturales attritas habent, maximè concoctricem: quæ verò à breui, eaſdem validas obtinent. Ergo

Extenuata conualeſcentium corpora, quæ talia ſunt à longo morbo, longo tempore debent ac ſenſim refici: quæ verò à breui, copioſiùs ſunt alenda, & pro virium ratione citò reficienda.

Minor probatur: nam corpora quæuis emaciata victum postulant plenum & augentem: at in macie quæ à causis longo tempore agentibus inducta est, non solùm spiritus influentes, & humores vnà cum carne detrimentum insigne receperunt, verùm & in partibus ipsis solidis, in quibus naturales facultates resident vt in proprio domicilio, calidum ipsum innatum aliqua ex parte fuit imminutum. Contrà macies subitò adueniens, oritur potissimùm à causis in spiritus influentes, humores, & carnis copiam, non in solida agentibus: quo casu naturalium facultatum robur vix imminuitur.

APHOR. VIII.

Ην ἐκ νούσου τροφὴν λαμβάνων τις, μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος τοῦτο γίγνηται, χρὴ εἰδέναι ὅτι κενώσιος δεῖται.

Si quis à morbo cibum assumens, vires non recipiat, copiosiore alimento corpus vti significatur: si verò modicè comedenti idem accidat, vacuatione indigere sciendum est.

COMMENT.

I.

Quæcunque corpora pura, imbecilla, extenuata, copiosum cibum euchymum & concoctu facilem appetentia, & ingerentia ordine ac tempore conuenienti, vires tamen non recipiunt;

piunt,nec proficiunt,copiosiore cibo onerari censenda sunt, & eius imminutione à medico iuuanda.

Corpora multorum conualescentium sunt talia. Ergo

Corpora multorum conualescentium copiosiore cibo onerari censenda sunt, & eius imminutione à medico iuuanda.

II.

Quæcunque corpora imbecilla & extenuata, vix quicquam appetunt, modicúmque boni cibi assumunt, congruenti ordine ac tempore,nec tamen vires recipiunt, aut proficiunt, impuritate aliqua teneri, & vacuatione indigere sunt iudicanda.

Corpora multorum conualescentium sunt huiusmodi. Ergo

Corpora multorum conualescentium impuritate aliqua teneri, & euacuatione indigere sunt iudicanda: *per aluum scilicet, per vrinas, per hæmorrhoidas, aut per cutim, siue sudorificis assumptis, siue balneo, frictione, aut exercitio.*

APHOR. IX.

Τὰ σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

Corpora quum quis purgare voluerit, oportet fluida facere.

COMMENT.

Quæcunque purgationem maximè vtilem facilémque reddunt, procurari debent à medico purgationem instituente.

Humorum purgandorum, si crassi fuerint, atte-

nuatio, si viscidi, detersio & incisio, ductuum item ac meatuum, per quos facienda est purgatio. si fuerint angusti, ampliatio, si occlusi apertio: purgationem maximè vtilem facilemque reddunt. Ergo

Humorum purgandorum, si crassi fuerint attenuatio, si viscidi, detersio & incisio &c. procurari debent à medico purgationem instituente.

Minor probatur: nam siue per aluum siue per vomitum, aliámve regionem, corpora purgare lubeat, eis nondum fluxilibus redditis, ægrè molestéque purgatio procedet, puta cum vētris torsione, vertigine, pulsus deprauatione, animi deliquio, aliísve id genus symptomatis.

APHOR. X.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Impura corpora quò plus nutries, eò magis lædes.

COMMENT.

Omnia corpora in quibus alimentum malè cōcoquitur, & assimilatur, magnáque sui parte corrūpitur, quò plus nutries, eò magis lædes.

Impura corpora eiusmodi sunt vt in eis alimētum malè concoquatur, & assimiletur, magnáque sui parte corrumpatur. Ergo

Impura corpora quò plus nutries, eò magis lædes.

Maior intelligi debet de alimento potiùs simpliciter dicto, quàm de cibo medicato.

Minor

Minor ex eo constat, quia mali humores, præsertim hærentes partibus & impacti, vnamquamque facultatum naturalium actionem interturbant.

APHOR. XI.

Ρᾷον πληρεῦσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίου.

Facilius est potu refici, quàm cibo.

COMMENT.

Quæcunque alimenta probe nutrientia, & ad concoquendum ac distribuendum facilia sunt, extenuatis conualescentium corporibus citò reficiendis (*si quantitate debita & opportuno tempore offerantur*) maximè conueniunt.

Sorbitiones, in primis euchymæ, ac moderati vini potio, huiusmodi sunt alimenta. Ergo

Sorbitiones in primis euchymæ, ac moderati vini potio, extenuatis conualescentium corporibus citò reficiendis, maximè conueniunt.

Minor probatur: nam quæ liquida sunt, à facultate concoctrice, mediante naturali calore, faciliùs mutantur: ministris item facultatibus, attractrici inquam & expultrici, promptiùs obtemperant: ac per angustiora vasa expeditiùs fluunt, porósque seu spatiola nutriendarum partium citiùs subeunt. Cæterùm Hippocrates hoc loco per potum, quodcunque potulentum alimentum siue simpliciter, siue participatè tale, per cibum verò, alimentum quodcunque solidius & crassius intelligit.

APHOR. XII.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Quæ in morbis post crisim relinquuntur, recidiuas facere consueuerunt.

COMMENT.

Quæcunque recidiuos morbos facere consueuerunt, omnino remouenda sunt.

Materiæ morbificæ, post imperfectas crises aut curationes relictę, *cùm sint putredini proxima*, recidiuos morbos facere consueuerunt.

Ergo

Materiæ morbificæ post imperfectas crises, aut curationes relictæ, omnino remouendæ sunt.

Porrò remanentes adhuc post crisim aut curationem morborum causas, patefaciunt oris amaror, cibi fastidium, inquietudo, aliáque id genus.

APHOR. XIII.

Οκόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ· ἡ δ' ἐπιοῦσα, εὐφορωτέρη ὡς ἐπιτοπολύ.

Quibus crisis fit, nox quæ accessionẽ præcedit, grauis: quæ verò subsequitur, leuior ferè solet existere.

COMMENT.

Quiſquis ſtrenuè pugnaturus ad inſtātem pugnam ſe accingit, grauiter commouetur ac laborat, vbi verò adeptus eſt victoriam, quieſcit.

Natura in morbis inuaſiones interdiu, vel exacerbationes habentibus, dum criſis die decretoria in paroxyſmi vigore futura eſt, nocte paroxyſmum præcedente ſtrenuè pugnatura, ad inſtātem cum morbo pugnam ſe accingit: nocte verò ſubſequente adepta eſt victoriam. Ergo

Natura in morbis, inuaſiones interdiu vel exacerbationes habentibus, dum criſis die decretoria in paroxyſmi vigore futura eſt, nocte paroxyſmum præcedente grauiter commouetur ac laborat: nocte verò ſubſequente quieſcit.

APHOR. XIV.

Ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

In fluxionibus alui, mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat.

COMMENT.

Præcedens aphoriſmus eſt de cognoſcenda criſi, tum incipiente, tum perfecta: hic verò de cognoſcendo criſis exitu per ea quæ, dum adhuc fit, excernuntur.

In quibuſcunque euacuationibus, materierū

ſponte exeuntium mutatio nullum arguit magnum incendium in viſceribus, nec inſignem humorum putredinem, aut malignitatem, ſpem nobis affert ægros per criſim perfectam iuuatum iri.

In criticis alui profluuiis, excretorum mutatio ab vna humoris ſpecie in aliam non deteriorem, *hoc eſt, non ſynceram, non pinguedinis aut colliquationis participem, non inſigniter fœtidam, aut praui alicuius coloris*, nullum arguit magnum incendium in viſceribus, nec inſignem humorum putredinem aut malignitatem. Ergo

In criticis alui profluuiis, excretorum mutatio ab vna humoris ſpecie in aliam nō deteriorem, ſpem nobis affert ægros per criſim perfectam iuuatum iri.

APHOR. XV.

Oκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φίματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, τὰς ἐκκρισίας σκέπτεσθαι. ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει. ἢν δὲ ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Vbi fauces ægrotant, aut puſtulæ in corpore exoriuntur, excrementa inſpicere oportet: nā ſi biliosa fuerint, vnà corpus ægrotat: ſi verò ſanorum excrementis ſimilia, tutum eſt corpus alere.

COM.

COMMENT.

Nuper de crisi quæ per excretionem fit: nūc de ea quæ per μετάϛασιν.

Quotiescunque internæ partes noxiis vacant humoribus, abstinendum à medicamentis purgātibus, & corpora more solito nutrienda: sin impura fuerint, purgatione magis egent quàm alimento.

In externis affectibus, putà in conspicuis faucium tumoribus, pustularum per cutim eruptionibus, atque abscessibus per crisim natis, vbi quæ excernuntur salubria, & secundum naturam fuerint, internæ partes noxiis vacant humoribus: vbi verò excreta insalubria, tunc impura sunt corpora. Ergo

In externis affectibus, putà in cōspicuis fauciū tumorib. &c. vbi quæ excernūtur, salubria, & secūdū naturā fuerint, abstinēdū à purgantibus, & corpora more solito nutriēda: vbi verò excreta insalubria, tunc purgatione corpora magis egent, quàm alimento.

APHOR. XVI.

Οκου λιμὸς, ὐ δεῖ πονέειν.

Vbi fames, laborandum non est.

COMMENT.

Quotiescunqne causa vehementer exsiccans & spiritus resoluens, ægro corpori adhibetur, cauendum sedulò ne ipsum aliunde magis inarescat, eiúsque vires frangantur, *cùm præsertim sicca intemperies in habitu sit immedicabilis.*

Vbi fames vel inedia à medico imperatur, causa

vehementer exsiccans & spiritus resoluens ægro corpori adhibetur. Ergo

Vbi fames vel inedia à medico imperatur, cauendum sedulò ne corpus ægrum aliunde magis inarescat, eiúsque vires frangantur.

Quare vitanda illi sunt quæcũque alia multùm extenuant & exsiccant, vt importuna sanguinis missio, purgatióve: similiter multa frictio, veheménsque omnis motio & labor. Cæterùm dogma istud de corporibus ægris prolatum non minùs ad sana aptari certum est.

APHOR. XVII.

Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τοῦτο τὴν νοῦσον ποιέει, δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις.

Vbi præter naturam copiosior cibus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem & sanatio.

COMMENT.

I.

Omnes res non naturales, in relatione ad hominem moderatæ, vitam eius conseruant, vt sanitatis causæ: modũ verò excedentes, causæ fiunt maioris minorísve morbi, prout magis minúsve modum excesserint.

Cibi & potus sunt res non naturales. Ergo

Cibi & potus in relatione ad hominem moderati, vitam eius conseruant vt sanitatis causæ: modum verò excedentes, causæ fiunt maioris minorísve morbi prout magis minúsve modum

dum excesserint.

II.

Omnis morbus, qui sanatur inanitione, consistit in repletione.

Morbus, quem faciunt cibi & potus præter naturam copiosiores, sanatur inanitione, *putà vomitu, inedia, missione sanguinis, & id genus aliis.* Ergo

Morbus, quem faciunt cibi & potus præter naturam copiosiores, in repletione consistit.

APHOR. XVIII.

Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίνονται.

Eorum quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres etiam excretiones esse solent.

COMMENT.

Si quod maius est, citò fit: quod minus est, citiùs fiet, aut saltem æquè citò.

Maius est, alimenta citò concoqui & distribui, confertímque ac celeriter nutrire, *multæ enim hîc fiunt mutationes secundum locum, qualitatem, & substantiam*: minus verò eorundem alimentorum portionem excrementitiam citò excerni. Ergo

Si multæ illæ mutationes citò fiunt, vt certum est in multis alimentorum speciebus: sequitur necessariò inutilium ab eis alimentis prouenientium excretionem citiùs fieri, aut saltem æquè citò: *subaudi si reliqua sint paria,*

& nihil impediat, vt morbus in via, vel quid aliud.

Hinc docemur ægros per inediam aut victum tenuem extenuatos, cibariis prompte nutrientibus esse refocillandos.

APHOR. XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων ἐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες ὅτι τοῦ θανάτου, ὅτε τῆς ὑγιείης.

In morbis acutis non omnino certæ sunt mortis aut salutis prædictiones.

COMMENT.

Omnium morborum motum habentium velocem, vehementem, & cum periculo coniunctum, incertæ sunt fere mortis aut salutis prædictiones.

Omnes morbi acuti motum habent velocem, vehementem, & cum periculo coniunctum.

Ergo

Omnium morborum acutorum incertæ sunt fere mortis aut salutis prædictiones.

* Maioris probatio desumitur ab incerta materiæ mobilitate, & ignoratione definitæ proportionis inter morbi vehementiam ac virium robur, cùm præsertim lucta hæc breuis exactiorem coniectandi rationem præripiat.

Minor probatur: omnes enim acuti morbi, siue sint principaliter cõmunes, id est totius, vt febres ardentes: siue sint particulares, & in toto vel febrim faciẽtes, vt pleuritis, angina: vel symptoma, vt epilepsia, apoplexia, tetanus: quicunque tan-

que tandem fuerint, omnes motu præcipiti ac periculi pleno mouentur, siue hic motus in materiam morbificam, præsertim verò turgentem, siue in morbum, aut symptomata referatur.

APHOR. XX.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσι αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσιν ξηραίνονται· ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισι ὑγραίνονται.

Quibus in iuuentute aluus est humecta, iis in senectute siccatur: quibus verò sicca iuuenibus fuit, iis senescentibus humectatur.

COMMENT.

I.

Vbicunque mutatione temperamenti, mutatio fit aliquarum causarum in oppositas: ibi fit mutatio effectus pendentis ab illis causis in oppositum effectum.

In iuuenibus laxam aluũ habentibus propter modicam oris ventriculi frigiditatem, vi cuius plus cibi appetitur atque ingeritur quàm opus sit, vel ob validam ventriculi intestinorúmque expultricem, vel ob multam bilem intestina proritantem: mutatione iuuenilis ætatis in senilem, fit mutatio temperamenti, & dictarum causarum in oppositas: *nam &*

Ventriculi os multò frigidius redditum, cibi appetentiam & copiam minuit, eiusdémque Ventriculi & intestinorum expultrix debilior euadit, & pauca bilis intestina proritat. Ergo

In iuuenibus laxam aluum habentibus ob dictas causas, mutatione iuuenilis ætatis in senilem, mutatio fit dicti effectus in oppositũ, ideóque laxitati alui succedit adstrictio.

I I.

Rursus:

Vbicunque mutatione temperamenti, mutatio fit &c.

In iuuenibus aluum habentibus adstrictam propter oris ventriculi caliditatem, vaporésve biliosos cibi appetentiam minuentes, vel propter hepatis feruorem intestina siccantem, vel ob cutis raritatem & sudoris copiam: mutatione iuuenilis ætatis in senilem, fit mutatio temperamenti & illarum causarum in oppositas, *nam & supernum os Ventriculi frigidius fit, nec vt antè à biliosis vaporibus inficitur, ac hepatis feruor remittitur, & cutis densatur, sudorísque copia minuitur.*

Ergo

In iuuenibus aluum habentibus adstrictam ob dictas causas, mutatione iuuenilis ætatis in senilem, mutatio fit dicti effectus in oppositum, ideóque adstrictioni alui succedit laxitas.

Hîc habenda est ratio mutationis ætatis, ac eorum quæ talem mutationem consequuntur: cætera debent esse paria, vt Gal. admonet.

APHOR.

APHOR. XXI.

Λιμὸν θώρηξις λύει.

Famem meri potio soluit.

COMMENT.

Quicquid ventriculi os frigidius calefacit, aut ab acido & corrugante succo liberat, aut vtrunque præstat, illud famem caninam curat.

Vinum meracum & generosum, ventriculi os frigidius calefacit, aut ab acido & corrugante succo liberat, aut *vi sua calefaciente, attenuante ac discutiente*, vtrumque præstat. Ergo

Vinum meracum & generosum, famem caninam curat.

Merum citiùs multò famem soluit, si pinguium eduliorum oris ventriculi sensum hebetantium & corrugationem ferè delentium vsus præcesserit, vt Gal. notat.

APHOR. XXII.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα αἱ νοσήματα γίνηται, κένωσις ἰῆται· καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος πλησμονή. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

Qui à repletione morbi fiunt, vacuatione curantur: & qui ab inanitione, sanantur repletione: cæterorúmque contraria sunt remedia.

COMMENT.

Omnis recessus à naturali statu, ac transitus in

eum qui est præter naturam, tollendus est per reditum, qui per contraria fit, ad statum naturalem.

Omnis morbus est recessus à naturali statu, ac transitus in eum qui est præter naturã. Ergo Omnis morbus tollendus est per reditum, qui per contraria fit, ad statum naturalem.

Proinde morbi à repletione curantur euacuatione, & contrà. Hinc apparet quàm verè alibi dictum fuerit ab Hippocr. medicinam esse adiectionem & ablationem.

APHOR. XXIII.

Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur.

COMMENT.

Morbi acuti motum habentes velocem cum grauibus symptomatis ac perniciem minitantibus, diuiduntur in spurios, quorum postremus terminus est dies quadragesimus : & in legitimos, qui præsenti aph. iudicari dicuntur intra dies quatuordecim, vt longa obseruatione compertũ est. Nec obstat quod quidam eorum ad decimum septimum, alij ad vigesimum deueniunt : huiusmodi enim morbi ab initio non fuerunt acuti, sed in fine primi vel secundi etiã quaternarij, acutorum naturam demum sunt adepti, vt Gal. docet : quamobrem si à die qua cœperunt esse acuti ad exitum vsque numerare libeat, totus eorum decursus quatuordecim dierum inuenietur.

APHOR.

APHOR. XXIV.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος· ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ, ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Index ſeptimi quartus: ſequentis ſeptimanæ octauus initium: ſpectandus quoque eſt vndecimus, ſiquidem is ſecundæ ſeptimanæ quartus eſt. Rurſumque decimus ſeptimus ſpectandus, is enim à quartodecimo quartus eſt, & ab vndecimo ſeptimus:

COMMENT.

Dies decretorij dicuntur in quos frequentes incidunt criſes: ſeptimus dies ab initio morbi, & poſt eum decimus quartus decernendi poteſtate aliis omnibus præſtant: quartus verò & vndecimus præcipui ſunt ſpeculatorij vel indices, futuram nempe criſim in ſeptimo vel decimoquarto monſtrantes, quamuis & ipſi ſecundariò ſint decretorij, quòd non paucas videant criſes: porò decimus ſeptimus eandem habet rationem ad vigeſimum, quam habet quartus ad ſeptimum, & vndecimus ad decimumquartum. Dignum verò inquiſitione vnde, nâ ſit pe-

tenda criticorum dierum ratio: Galenus eam referendam censet in varios lunæ aspectus ad solem & signa zodiaci, dum per cœli quartas cursum suum peragit: verùm quoniam quaterni septeníque morborum dies cum lunæ diebus quaternis septenísque rarissimè coincidūt, videtur ea opinio, vel hanc ob causam (dicto sit venia) principiis niti parùm firmis. Commodiùs, ni fallor, Fracastorius, vir in indagandis rerum causis solertissimus, dierum criticorum causam ad naturam humorum peccantium refert: si namque peccat humor simplex, aut multiplex ad vnam formam redactus, quod rarum est, tunc nulla criticorum dierum habita ratione, soli paroxysmorum dies considerandi, in quibus post concoctam materiam contingunt crises, in pituitosis morbis quotidie, in biliosis imparibus diebus: ideò Hippocr. ad biliosos respiciens 4. de rat. victus in acutis, tex. 56. monet spectandos esse maximè dies impares, & 34 aph. sect. 4. sudores laudat diebus potissimùm imparibus prodeuntes. Si verò plures humores peccantes sint inuicem confusi tantùm, vt euenit sæpissimè ob humorē in primis melancholicum, qui siccus ac terrestris, haud facilè in vnam cum aliis formam conspirat, tunc quilibet humor proprium motum retinet, ac principaliter quidem peccās manifestum, subpeccans verò latentem edit paroxysmū. In morbis igitur biliosis acutis, crises circa subpeccantis melancholiæ motus, concoctiones, & præparationes sunt potissimùm attendendæ: non enim fiunt crises nisi crassiore etiam humore probè

probè cum reliquis præparato. Vt verò melancholicus humor paucus est vel multus, crassior vel tenuior, tenacior vel solutus magis: & eodem modo, pro discrimine vario biliosi humoris, fit vt putrescente bile aliquando simul putrescat melãcholia, quũ scilicet pauca est ac tenuis. túncque dies erũt molestissimæ prima, septima, decimatertia, in quibus mouetur vterq; humor, & eo casu crisis incipiet decimatertiâ, complebitur decimaquartâ: minùs molestæ, tertia, quinta, nona, vndecima, in quibus sola mouetur bilis principaliter peccans: aliæ dies intermediæ placidæ erunt, exceptis quartâ & decimâ, ob aliquem subpeccantis melancholiæ motum. Sin melancholia sit copiosior & crassior, incipiet putrescere ac moueri secunda morbi die, vel tertiâ, vel etiam quartâ: si secunda, tunc completa eius præparatio ac motus criticus incident in decimamquartam, in quam diem licèt non incidat per se motus bilis primariò peccantis, ob adiunctam tamen melancholiam critico motu agitatam, particeps fit quoque tunc bilis multò tenuior, & in prægressis paroxysmis non exiguâ parte resoluta, eiusdem digestionis & motus: quocirca natura irritata, & humoris vtriusque peccantis dominium adepta, validiórque reddita, ad motum criticum subpeccantis humoris maximo conatu insurgit, & principaliter quoque peccantem bilem commouet atque expellit, vnde fit vt decimaquarta dies multas crises videat.

APHOR. XXV.

Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι, τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες· οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ, μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Aestiuæ quartanæ plerumque breues, autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.

COMMENT.

Omnes morbi qui fiunt à materia tenuiore, in corpore multùm difflabili, sunt plerumque breues: qui verò à materia fiunt crassa, in corpore densiore, sunt longi.

Aestiuæ quartanæ, morbi sunt qui fiunt à materia tenuiore, in corpore multùm difflabili: autumnales verò, maximè quæ hyemem attingunt, a materia fiunt crassa, in corpore densiore. Ergo

Aestiuæ quartanæ sunt plerumque breues: autumnales verò, maximè quæ hyemem attingunt, longæ.

APHOR. XXVI.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γίνεσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Conuulsioni febrem superuenire satius est, quàm febri conuulsionem.

COMMENT.

Quotiescunque morbus aliquis formidabili symptomati superueniens, eius causam tollit, con-

lit, contrà verò idem symptoma eidem morbo accedens, eum reddit insanabilem : tunc multò satiùs est morbum superuenire symptomati quàm symptoma morbo.

Vbi febris conuulsioni ex repletione accedit, morbus formidabili symptomati superueniens, eius causam tollit : contrà vbi febrem sequitur conuulsio ex inanitione, idem symptoma eidem morbo accedens, eum reddit insanabilem. Ergo

Vbi febris conuulsioni ex repletione accedit, multò satiùs est quàm vbi febrē sequitur conuulsio ex inanitione.

Minoris probatio ex Gal. in com. petenda: humores enim frigidi & glutinosi conuulsionem ex repletione facientes, à febre superueniente calefiunt, attenuantur, ac dissoluuntur: contrà febricitanti iam corpori accedens conuulsio, quia fit ex siccitate, lethalis est, malo ingeminato.

APHOR. XXVII.

Τοῖσι μὲν κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιουτέων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν, οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

His quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere, neque multùm formidare mala quæ præter rationem eueniunt:

Istiusmodi enim multa sunt incerta, nec durare diu aut persistere solent.

COMMENT.

Quibuscunque in morbis ob inconstantes prę-cipitésque eorum motus, quædam præter morbi morem & medici expectationem contingunt: non oportet ob huiusmodi signa temerè contingentia parúmque duratura, si bona fuerint, lætari ac fidere, si mala, turbari.

In morbis acutis ob inconstantes præcipitésque eorum motus, quædam præter morbi morem, & medici expectationem sæpe contingunt. Ergo

In morbis acutis non oportet ob huiusmodi signa temerè contingentia, parúmque duratura, si bona fuerint, lætari ac fidere, si mala, turbari.

APHOR. XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως τὸ διαμένειν, καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν· τὸ μὲν γὰρ, μῆκος νούσου σημαίνει· τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Febricitantium non omnino leuiter, corpus sibi constare, nec minui, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum: hoc siquidem virium imbecillitatem, illud morbi diuturnitatem significat.

COM-

COMMENT.

I.

Quotiescunque symptomata carent certa solitáque proportione ad suos morbos, tunc medicus debet scrutari eius dissonantiæ causas, & ab eis prognosticandi curandíque rationem desumere.

Quum in febribus magnis vel mediocribus, corpus minùs emaciatur ac minuitur, aut plus colliquatur quàm pro ratione febris vel causæ cuiuspiam manifestæ conueniat: symptomata carent certa solitáque proportione ad suos morbos. Ergo

Quum in febribus magnis vel mediocribus corpus minùs emaciatur ac minuitur, aut plus colliquatur quàm pro ratione febris vel causę cuiuspiã manifestę conueniat, medicus debet scrutari eius dissonantiæ causas, & ab eis prognosticandi curandíque rationem desumere.

II.

Quicquid febrem longam fore significat, malum est signum.

Corporis habitus in febribus non exiguis, idem ferè manens, nec pro ratione febris emaciatus, longam fore febrem significat. Ergo

Corporis habitus in febribus non exiguis, idem ferè manens, nec pro ratione febris emaciatus, malum est signum.

Minor probatur, habitus nãmque idem ferè permanens, præter difflationem prohibitam ob cutis densitatem, multos etiam arguit crudos

crassósque humores in febriente corpore collectos.

III.

Quicquid virium imbecillitatem significat, est malum signum.

Corporis extenuatio in febribus, maior quàm pro ratione febris vel causæ cuiuspiam manifestæ conueniat, virium imbecillitatem significat. Ergo

Corporis extenuatio in febribus, maior quàm pro ratione febris vel causæ cuiuspiam manifestæ conueniat, malum est signum.

Probatur minor: nam quæ præter rationem emaciantur corpora, id necessariò patiuntur ob imbecillitatem facultatum, retentricis videlicet permittentis humidum alimentale copiosiùs diffluere magísque consumi quàm possit refici, & concoctricis ad alimenta conficienda, noxiósque humores edomandos minùs idoneæ.

APHOR. XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει, ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Incipientibus morbis, si quid mouẽdum videtur, moue: vigentibus autem quiescere præstat.

COMMENT.

Quotiescunque res præter naturam tutò possunt remoueri, quàm citissimè sunt emouendæ:

uendæ; quum verò periculosa est earum remotio, quiescendum.

In principio & priore augmenti parte morborum materialium, nonnullæ materię sunt res præter naturam quę tutò possunt remoueri: in statu verò periculosa est earum remotio.

Ergo

In principio & priore augmenti parte morborum materialium, nonnullæ materiæ quàm citissimè sunt remouendæ: in statu verò quiescendum.

Probatur minor ab Hippocr. sequenti aphor. nam circa morborum principia, & in priore augmenti parte, quæ principij naturam sapit, cùm leuia sint omnia symptomata, & virtus valida: ideò & sanguinis missio, & per vomitum euacuatio, vel per aluum glande, clystere, medicamento leniente, & si materia turgeat, etiam purgante, tutò possunt ac debent præscribi: contrà in morbi vigore, ob maximam symptomatum vehementiam, & quia tunc natura edomandæ morbi materiæ seriò incumbit, nil à medico mouendum.

APHOR. XXX.

Περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα· περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.

Circa initia & fines remissiora sunt omnia, in vigore vehementiora.

COMMENT.

Quæcunque materiæ morbificæ tutò nō potuerunt euacuari circa morbi initium, vel in

priore augmenti parte, illæ in declinatione debent expelli.

APHOR. XXXI.

Τῷ ἐξ ἀῤῥωςίης εὐσιτεῦντι μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Si à morbo probè comedenti corpus non proficiat, malum

COMMENT.

Quicquid aut coctricis facultatis imbecillitatem, aut prauorum humorũ copiam arguit, malum est signum.

Conualescentium corpora probè appetere, & conuenienter cibum sumere, nec tamen refici: arguit coctricis facultatis imbecillitatem, aut prauorum humorum copiam. Ergo

Conualescentium corpora probè appetere, & conuenienter cibum sumere, nec tamen refici: malum est signum.

Probatur minor: illa enim laudabilis appetentia nascitur sæpe ab acido succo, ventriculi os corrugante, quo casu cibus conuenienter sumptus si non prosit, hoc fit ob dictas causas.

APHOR. XXXII.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ᾽ ἀρχὰς μὲν εὐσιτεῦντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτεύουσιν· οἱ δὲ κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἀσιτεῦντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτεῦντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Qui,

Qui aduersa valetudine abundè initio comedunt, nec proficiunt, ij ferè tandem omnes in cibi fastidium incidunt, contrà, qui initio forti inedia vsi, cibum posteà appetere incipiunt, inualetudine faciliùs liberantur.

COMMENT.

Quæcunque corpora cruditatibus prauísque humoribus repleri pergunt, incidunt in cibi fastidium, ac tardiùs vires recipiunt: quæ verò à prauis humoribus nondum planè libera, depurantur in dies magis, faciliùs inualetudine liberantur.

Conualescentium corpora initio multùm appetentia nec proficientia, cruditatibus prauísque humoribus repleri pergunt: cibum verò fastidientia, dein appetere incipientia, cùm à prauis humoribus nondum sint planè libera, depurantur in dies magis. Ergo

Conualescentium corpora initio multùm appetentia, incidunt in cibi fastidium, ac tardiùs vires recipiunt: cibum verò fastidientia, dein appetere incipientia, faciliùs inualetudine liberantur.

APHOR. XXXIII.

Ἐν πάσῃ νόσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν· τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur,

bonum: contrà verò habere se, malum.

COMMENT.

Quæcunque non solùm præcipuorum viscerum primariò, sed aliarum quoque partium illis affinium secundariò, vires non inualidas denotant: illa in omni morbo bona sunt signa: quæ verò dictarum pertium imbecillitatem significant, mala.

Mente constare & bene se habere ad ea quæ offeruntur, non solùm cerebri & venticuli primariò, sed secundariò aliarum quoque partium illis affinium, vires non inualidas denotant: quæ verò secus se habent, dictarum partium imbecillitatem significant.

Ergo

Mente constare & bene se habere ad ea quæ offeruntur, in omni morbo bona sunt signa: quæ verò secus se habent, mala.

APHOR. XXXIV.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

Minùs periculosè ægrotant, quorum vel naturæ, vel ætati, vel consuetudini, vel tempori familiaris morbus est, quàm quibus horum nulli affinis existit.

COM-

COMMENT.

Omnes res præternaturales quæ in humano corpore fiunt à leuioribus causis, & minore cum recessu à naturali statu, sunt minùs periculosæ: quæ verò à causis validioribus & maiore cum recessu à naturali statu, periculosiores.

Morbi qualitate similes naturæ ægrotantis, ætati, consuetudini, vel ambienti, fiunt à leuioribus causis, & minore cum recessu à naturali statu: qualitate verò dissimiles à causis validioribus & maiore cum recessu à naturali statu. Ergo

Morbi qualitate similes naturæ ægrotantis, ætati, consuetudini, vel ambienti, minùs sunt periculosi: qualitate verò dissimiles periculosiores.

Minor à Gal. in com. probatur, vbi exemplum affert febris ardentis, quæ multò vehementior censetur hyeme quàm æstate, ob frigus scilicet ambientis. quod cùm febrilis illius causæ magnitudinem, sano adhuc existente corpore cohibere non potuerit, multò minùs eandem morbo iam facto superabit. Idem de ætate & consuetudine, morbo cuipiam contrariis, esto iudicium.

Aphor. XXXV.

Εν πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετη-

bonum: contrà verò habere se, malum.

COMMENT.

Quæcunque non solùm præcipuorum viscerum primariò, sed aliarum quoque partium illis affinium secundariò, vires non inualidas denotant: illa in omni morbo bona sunt signa: quæ verò dictarum pertium imbecillitatem significant, mala.

Mente constare & bene se habere ad ea quæ offeruntur, non solùm cerebri & venticuli primariò, sed secundariò aliarum quoque partium illis affinium, vires non inualidas denotant: quæ verò secus se habent, dictarum partium imbecillitatem significant.

Ergo

Mente constare & bene se habere ad ea quæ offeruntur, in omni morbo bona sunt signa: quæ verò secus se habent, mala.

APHOR. XXXIV.

Εν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

Minùs periculosè ægrotant, quorum vel naturæ, vel ætati, vel consuetudini, vel tempori familiaris morbus est, quàm quibus horum nulli affinis existit.

COM-

COMMENT.

Omnes res præternaturales quæ in humano corpore fiunt à leuioribus causis, & minore cum recessu à naturali statu, sunt minùs periculosæ: quæ verò à causis validioribus & maiore cum recessu à naturali statu, periculosiores.

Morbi qualitate similes naturæ ægrotantis, ætati, consuetudini, vel ambienti, fiunt à leuioribus causis, & minore cum recessu à naturali statu: qualitate verò dissimiles à causis validioribus & maiore cum recessu à naturali statu. Ergo

Morbi qualitate similes naturæ ægrotantis, ætati, consuetudini, vel ambienti, minùs sunt periculosi: qualitate verò dissimiles periculosiores.

Minor à Gal. in com. probatur, vbi exemplum affert febris ardentis, quæ multò vehementior censetur hyeme quàm æstate, ob frigus scilicet ambientis. quod cùm febrilis illius causæ magnitudinem, sano adhuc existente corpore cohibere non potuerit, multò minùs eandem morbo iam facto superabit. Idem de ætate & consuetudine, morbo cuipiam contrariis, esto iudicium.

Aphor. XXXV.

Εν πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετη-

κὸς, μοχθηρόν. Ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

In quouis morbo partes ad vmbilicu & imum ventrem attinentes crassiores esse præstat, harum siquidem extenuatio & tabes, mala : & ad inferiores quoque purgationes parùm tuta.

COMMENT.

Quicquid naturalium viscerum præcipuorum imbecillitatem arguens, eorum etiam concoctionem lædit, ac supernas infernásque purgationes parùm tutas reddit: illud in quouis morbo malum est signum & mala causa: quicquid verò contrario modo se habet, bonum est vt signum & vt causa.

Tabes seu extenuatio abdominis, naturalium viscerum præcipuorum imbecillitatem arguens, corum etiam concoctionem lædit, ac supernas infernásque purgationes parùm tutas reddit : crassitudo verò earundem partium naturalium viscerum robur significans, ventriculi & hepatis concoctionem iuuat, purgationésque per vomitum & per aluum tutas reddit. Ergo

Tabes seu extenuatio abdominis in quouis morbo, malum est signum & mala causa, eiusdem verò abdominis crassitudo bona est vt signum & vt causa.

Probatur minor : primò enim continentium abdominis partium extenuatio prægressum arguit hepatis incendium præsentémque vicinarum

rum partium intemperiem frigidam potissimùm & siccam: secundò calorem naturalium viscerum non fouet, vnde vtraque prior concoctio labefactatur, tertiò tabidi abdominis musculi in materiis noxiis per vomitum vel secessum expellendis officio malè funguntur, vnde multa contingunt symptomata. Contrà verò abdominis crassitudo bonam naturalium viscerum temperiem arguit, eorundem natiuum calorem fouet, & musculi abdominis bene cōstituti in pellendis noxiis sunt validi.

APHOR. XXXVI.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι, ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui corpore sunt salubri, purgante hausto medicamento statim deficiunt, vt & qui prauo alimento vtuntur.

COMMENT.

Quæcunque corpora habent in se causas ventriculi os atque intestina acriter vellicantes, maximámque humorum siue alimentalium, siue vitiosorum agitationem efficientes, ac densissimis vaporibus cerebrum & cor replētes: illa patiuntur inquietationes, cardialgias, vertigines, ventris tormina, leipothymias aut syncopes.

Corpora integrâ sanitate prædita, vel quæ dudum vitiosis alimentis vsa sunt, post medicamen haustum strenuè purgans, causas in se habent os ventriculi & intestina acriter vel-

Istiusmodi enim multa sunt incerta, nec durare diu aut persistere solent.

COMMENT.

Quibuscunque in morbis ob inconstantes præcipitésque eorum motus, quædam præter morbi morem & medici expectationem contingunt: non oportet ob huiusmodi signa temerè contingentia parúmque duratura, si bona fuerint, lætari ac fidere, si mala, turbari.

In morbis acutis ob inconstantes præcipitésque eorum motus, quædam præter morbi morem, & medici expectationem sæpe contingunt. Ergo

In morbis acutis non oportet ob huiusmodi signa temerè contingentia, parúmque duratura, si bona fuerint, lætari ac fidere, si mala, turbari.

APHOR. XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως τὸ διαμένειν, καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν· τὸ μὲν γὰρ, μῆκος νούσου σημαίνει· τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Febricitantium non omnino leuiter, corpus sibi constare, nec minui, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum: hoc siquidem virium imbecillitatem, illud morbi diuturnitatem significat.

COM-

COMMENT.

I.

Quotiescunque symptomata carent certa solitáque proportione ad suos morbos, tunc medicus debet scrutari eius dissonantiæ causas, & ab eis prognosticandi curandíque rationem desumere.

Quum in febribus magnis vel mediocribus, corpus minùs emaciatur ac minuitur, aut plus colliquatur quàm pro ratione febris vel causæ cuiuspiam manifestæ conueniat: symptomata carent certa solitáque proportione ad suos morbos. Ergo

Quum in febribus magnis vel mediocribus corpus minùs emaciatur ac minuitur, aut plus colliquatur quàm pro ratione febris vel causę cuiuspiā manifestę conueniat, medicus debet scrutari eius dissonantiæ causas, & ab eis prognosticandi curandíque rationem desumere.

II.

Quicquid febrem longam fore significat, malum est signum.

Corporis habitus in febribus non exiguis, idem ferè manens, nec pro ratione febris emaciatus, longam fore febrem significat. Ergo

Corporis habitus in febribus non exiguis, idem ferè manens, nec pro ratione febris emaciatus, malum est signum.

Minor probatur, habitus namque idem ferè permanens, præter difflationem prohibitam ob cutis densitatem, multos etiam arguit crudos

craſſóſque humores in febriente corpore collectos.

III.

Quicquid virium imbecillitatem ſignificat, eſt malum ſignum.

Corporis extenuatio in febribus, maior quàm pro ratione febris vel cauſæ cuiuſpiam manifeſtæ conueniat, virium imbecillitatem ſignificat. Ergo

Corporis extenuatio in febribus, maior quàm pro ratione febris vel cauſæ cuiuſpiam manifeſtæ conueniat, malum eſt ſignum.

Probatur minor: nam quæ præter rationem emaciantur corpora, id neceſſariò patiuntur ob imbecillitatem facultatum, retentricis videlicet permittentis humidum alimentale copioſiùs diffluere magíſque conſumi quàm poſſit refici, & concoctricis ad alimenta conficienda, noxióſque humores edomandos minùs idoneæ.

APHOR. XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει, ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Incipientibus morbis, ſi quid mouẽdum videtur, moue: vigentibus autem quieſcere præſtat.

COMMENT.

Quotieſcunque res præter naturam tutò poſſunt remoueri, quàm citiſſimè ſunt emouendæ:

uendæ: quum verò periculosa est earum remotio, quiescendum.

In principio & priore augmenti parte morborum materialium, nonnullæ materię sunt res præter naturam quę tutò possunt remoueri: in statu verò periculosa est earum remotio.

Ergo

In principio & priore augmenti parte morborum materialium, nonnullæ materiæ quàm citissimè sunt remouendæ: in statu verò quiescendum.

Probatur minor ab Hippocr. sequenti aphor. nam circa morborum principia, & in priore augmenti parte, quæ principij naturam sapit, cùm leuia sint omnia symptomata, & virtus valida: ideò & sanguinis missio, & per vomitum euacuatio, vel per aluum glande, clystere, medicamento leniente, & si materia turgeat, etiam purgante, tutò possunt ac debent præscribi: contrà in morbi vigore, ob maximam symptomatum vehementiam, & quia tunc natura edomandæ morbi materiæ seriò incumbit, nil à medico mouendum.

Aphor. XXX.

Περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα· περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.

Circa initia & fines remissiora sunt omnia, in vigore vehementiora.

COMMENT.

Quæcunque materiæ morbificæ tutò nō potuerunt euacuari circa morbi initium, vel in

priore augmenti parte, illæ in declinatione debent expelli.

APHOR. XXXI.

Τῷ δὲ ἐξ ἀῤῥωστίης εὐσιτέοντι μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Si à morbo probè comedenti corpus non proficiat, malum

COMMENT.

Quicquid aut coctricis facultatis imbecillitatem, aut prauorum humorũ copiam arguit, malum est signum.

Conualescentium corpora probè appetere, & conuenienter cibum sumere, nec tamen refici: arguit coctricis facultatis imbecillitatem, aut prauorum humorum copiam. Ergo

Conualescentium corpora probè appetere, & conuenienter cibum sumere, nec tamen refici: malum est signum.

Probatur minor: illa enim laudabilis appetentia nascitur sæpe ab acido succo, ventriculi os corrugante, quo casu cibus conuenienter sumptus si non prosit, hoc fit ob dictas causas.

APHOR. XXXII.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτεύουσιν· οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Qui,

Qui aduersa valetudine abundè initio comedunt, nec proficiunt, ij ferè tandem omnes in cibi fastidium incidunt, contrà, qui initio forti inedia vsi, cibum posteà appetere incipiunt, inualetudine faciliùs liberantur.

COMMENT.

Quæcunque corpora cruditatibus prauísque humoribus repleri pergunt, incidunt in cibi fastidium, ac tardiùs vires recipiunt: quæ verò à prauis humoribus nondum planè libera, depurantur in dies magis, faciliùs inualetudine liberantur.

Conualescentium corpora initio multùm appetentia nec proficientia, cruditatibus prauísque humoribus repleri pergunt: cibum verò fastidientia, dein appetere incipientia, cùm à prauis humoribus nondum sint planè libera, depurantur in dies magis. Ergo

Conualescentium corpora initio multùm appetentia, incidunt in cibi fastidium, ac tardiùs vires recipiunt: cibum verò fastidientia, dein appetere incipientia, faciliùs inualetudine liberantur.

APHOR. XXXIII.

Ἐν πάσῃ νούσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν· τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur,

bonum: contrà verò habere se, malum.

COMMENT.

Quæcunque non solùm præcipuorum viscerum primariò, sed aliarum quoque partium illis affinium secundariò, vires non inualidas denotant: illa in omni morbo bona sunt signa: quæ verò dictarum pertium imbecillitatem significant, mala.

Mente constare & bene se habere ad ea quæ offeruntur, non solùm cerebri & venticuli primariò, sed secundariò aliarum quoque partium illis affinium, vires non inualidas denotant: quæ verò secus se habent, dictarum partium imbecillitatem significant.

Ergo

Mente constare & bene se habere ad ea quæ offeruntur, in omni morbo bona sunt signa: quæ verò secus se habent, mala.

APHOR. XXXIV.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

Minùs periculosè ægrotant, quorum vel naturæ, vel ætati, vel consuetudini, vel tempori familiaris morbus est, quàm quibus horum nulli affinis existit.

COM-

COMMENT.

Omnes res præternaturales quæ in humano corpore fiunt à leuioribus causis, & minore cum recessu à naturali statu, sunt minùs periculosæ: quæ verò à causis validioribus & maiore cum recessu à naturali statu, periculosiores.

Morbi qualitate similes naturæ ægrotantis, ætati, consuetudini, vel ambienti, fiunt à leuioribus causis, & minore cum recessu à naturali statu: qualitate verò dissimiles à causis validioribus & maiore cum recessu à naturali statu. Ergo

Morbi qualitate similes naturæ ægrotantis, ætati, consuetudini, vel ambienti, minùs sunt periculosi: qualitate verò dissimiles periculosiores.

Minor à Gal. in com. probatur, vbi exemplum affert febris ardentis, quæ multò vehementior censetur hyeme quàm æstate, ob frigus scilicet ambientis. quod cùm febrilis illius causæ magnitudinem, sano adhuc existente corpore cohibere non potuerit, multò minùs eandem morbo iam facto superabit. Idem de ætate & consuetudine, morbo cuipiam contrariis, esto iudicium.

Aphor. XXXV.

Ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετη-

κὸς, μοχθηρόν. Ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

In quouis morbo partes ad vmbilicu & imum ventrem attinentes crassiores esse præstat, harum siquidem extenuatio & tabes, mala : & ad inferiores quoque purgationes parùm tuta.

COMMENT.

Quicquid naturalium viscerum præcipuorum imbecillitatem arguens, eorum etiam concoctionem lædit, ac supernas infernásque purgationes parùm tutas reddit: illud in quouis morbo malum est signum & mala causa: quicquid verò contrario modo se habet, bonum est vt signum & vt causa.

Tabes seu extenuatio abdominis, naturalium viscerum præcipuorum imbecillitatem arguens, eorum etiam concoctionem lædit, ac supernas infernásque purgationes parùm tutas reddit : crassitudo verò earundem partium naturalium viscerum robur significans, ventriculi & hepatis concoctionem iuuat, purgationésque per vomitum & per aluum tutas reddit. Ergo

Tabes seu extenuatio abdominis in quouis morbo, malum est signum & mala causa, eiusdem verò abdominis crassitudo bona est vt signum & vt causa.

Probatur minor : primò enim continentium abdominis partium extenuatio prægressum arguit hepatis incendium præsentémque vicinarum

rum partium intemperiem frigidam potissimùm & siccam : secundò calorem naturalium viscerum non fouet, vnde vtraque prior concoctio labefactatur, tertiò tabidi abdominis musculi in materiis noxiis per vomitum vel secessum expellendis officio malè funguntur, vnde multa contingunt symptomata. Contrà verò abdominis crassitudo bonam naturalium viscerum temperiem arguit, eorundem natiuum calorem fouet, & musculi abdominis bene cōstituti in pellendis noxiis sunt validi.

APHOR. XXXVI.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι, ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui corpore sunt salubri, purgante hausto medicamento statim deficiunt, vt & qui prauo alimento vtuntur.

COMMENT.

Quæcunque corpora habent in se causas ventriculi os atque intestina acriter vellicantes, maximámque humorum siue alimentalium, siue vitiosorum agitationem efficientes, ac densissimis vaporibus cerebrum & cor replētes: illa patiuntur inquietationes, cardialgias, vertigines, ventris tormina, leipothymias aut syncopes.

Corpora integrâ sanitate prædita, vel quæ dudum vitiosis alimentis vsa sunt, post medicamen haustum strenuè purgans, causas in se habent os ventriculi & intestina acriter vel-

licantes maximámque humorum siue alimentalium siue vitiosorum agitationem facientes, ac densissimis vaporibus cerebrum & cor replentes. Ergo

Corpora integrâ sanitate prædita, vel quæ dudum vitiosis alimentis vsa sunt, post medicamen haustum strenuè purgans patiuntur inquietationes, cardialgias, vertigines, ventris tormina, leipothymias aut syncopes.

Aphor. XXXVII.

Οἱ δὲ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

Qui integra sunt corporis valetudine, medicationes molestè ferunt.

COMMENT.

Ratio huius aphorismi ex præcedenti syllogismo, & ex Gal. com. est petenda: vt enim corpora valdè cacochyma purgationes validas non ferunt, sed præ humorum prauorum copia cōfertim subitóque ad ventriculum & intestina vi pharmaci attractorum ac propter virium imbecillitatem exoluuntur: quocirca non nisi per ὑπόκρισιν purgari debent. Ita sana omnino corpora æquè difficulter valida purgantia ferunt: cùm enim vitiosis humoribus à pharmaco attrahendis careant, necessariò euenit vt præter insignem facultatum perturbationem, humores etiam vniuersi alimentales in venis ac solidorum spatiolis contenti, miris modis agitentur absumantúrque, & carnes etiam colliquentur;

tur: quam ob causam integrè sana corpora non sunt purganda.

APHOR. XXXVIII.

Τὸ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

Paulò deterior, sed suauior cibus ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus.

COMMENT.

Omnis cibus & potus qui in victu ægris præscribendo, magis facit ad tutò, citò, & iucundè restituendam sanitatem, ei qui minùs hoc præstat est præferendus.

Paulò deterior cibus ac potus, sed suauis, in victu ægris pręscribendo magis facit ad tutò, citò, & iucundè restituendam sanitatem: qui verò melior quidem est sed ingratus, minùs hoc præstat. Ergo

Paulò deterior cibus ac potus, sed suauis, meliori quidem, sed ingrato, est pręferendus.

Probatur minor: primùm, quia ægri magis confidunt ac propensiùs parent medico gratum facienti, vnde remedia euadunt efficaciora: tum etiam quia ventriculus alimētum paulò deterius, cùm suauius fuerit, arctiùs amplexatur, ac meliùs concoquit: prætereà cibi & potus quos plus appetimus, vt nobis magis fami-

liares vel consueti, & à nostra substantia minùs dissidentes, faciliùs in eam transeunt: contrario modo se habent cibi & potus iniucundi.

APHOR. XXXIX.

Οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον· ὅσα δ' ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γίνηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Senes iuuenibus magna ex parte minùs ægrotant: semel autem diuturnis morbis correpti, ferè vnà moriuntur.

COMMENT.

I.

Quicunque moderato vtuntur victu, magna ex parte minùs ægrotant: qui verò intemperanter viuunt, morbis sunt magis obnoxij.
Senes moderato victu vtuntur: contrà iuuenes intemperanter viuunt. Ergo

Senes, magna ex parte minùs ægrotant: contrà iuuenes morbis sunt magis obnoxij.

II.

Quæcunque corpora naturales facultates debiles, calorémque imbecillum habent, illa chronicis morbis semel correpta, eisdem magna ex parte commoriuntur.

Senum corpora, naturales facultates debiles, calorémque imbecillum habent. Ergo

Senum corpora, chronicis morbis semel correpta, eis-

pta, eiſdem magna ex parte commoriuntur.

Probatur maior, quia diuturni morbi, vt plurimùm, à craſſis, frigidis, copioſiſque fiunt humoribus, quos languentes facultates calórque in ſenibus valdè imminutus nequeunt ſuperare.

APHOR. XL.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Raucitates & grauedines coctionem in valde ſenibus non admittunt.

COMMENT.

In nullis corporibus languidis calorémque naturalem magnoperè imminutum habentibus, raucitates & grauedines coctionem admittunt, ſed ad mortem vſque comitantur.

Corpora valdè ſenilia, languida ſunt, calorémque naturalem magnoperè imminutum habent. Ergo

In corporibus valdè ſenilibus, raucitates & grauedines coctionem non admittunt, ſed ad mortem vſque comitantur.

APHOR. XLI.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui ſæpe & vehementer ſine cauſa manifeſta exoluuntur, ij derepentè moriuntur.

COMMENT.

Quicquid facultates vitalem animalémque valde imbecillas significat, ob malignum aliquem, latentem, & contumacem affectum: illud mortem repentinam denunciat.

Frequens ac vehemens animi deliquium citra causam manifestam, facultates vitalem animalémque valdè imbecillas significat, ob malignum, latentem, & contumacem affectum. Ergo

Frequens ac vehemens animi deliquium citra causam manifestam, mortem repentinam denunciat.

APHOR. XLII.

Λύειν ἀποπληξίην, ἰσχυρὴν μὲν, ἀδύνατον· ἀσθενέα δὲ, οὐ ῥηΐδιον.

Apoplexia fortis nullo modo, debilis ægrè curatur.

COMMENT.

Quocunque in morbo cérebrum ita oppletur, vt animales omnes facultates & principes & ministræ propria functione spolientur, mors imminet: vbi verò motrix facultas, reliquis otiantibus, in thoracis musculos quadantenus influere perseuerat, curatio est difficilis.

In apoplexia vehementi cerebrum ita oppletur, vt animales omnes facultates & principes & ministræ propria functione spolientur: in leui autem, motrix facultas, reliquis

trix

otiantibus in thoracis muſculos quadantenus influere perſeuerat. Ergo

In apoplexia vehementi mors imminet:in leui autem curatio eſt difficilis.

Probatur maior: dum enim cerebrum humore oppletur copioſo, facultas animalis omnino ſuffocatur, ad eiúſque interitum vitalis etiam & alia quæuis extinguitur:at quoties humor in cerebro minùs abundat, minus etiam ſuffocationis periculum impendet: præ morbi tamen vehementia, curatio ſemper eſt difficilis.

Aphor. XLIII.

Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Strangulati aut ſuffocati, nondum tamen mortui, ad ſe non redeunt, quorum circa os ſpuma apparuerit.

COMMENT.

Quicquid arguit natiuam pulmonum humiditatem ob inſignem agitationem & calorem violenter exprimi: illud maxima parte ſignum eſt lethale.

Spuma circa os apparens eorum qui laqueo,vel interno colli tumore ſtrangulantur, arguit natiuam pulmonum humiditatem ob inſignem agitationem calorémque violenter exprimi. Ergo

Spuma circa os apparens eorum qui laqueo,vel

interno colli tumore ſtrangulantur, maximâ parte ſignum eſt lethale.

Maior probatur: ab ea namque violenta adeò cordis pulmonum & agitatione, & ab inſigni vtriuſque viſceris incendio propter cohibitam reſpirationem, vix fieri poteſt quin tota vitalium partium oeconomia euertatur, ipsíque in corde ſpiritus ſuffocentur.

APHOR. XLIV.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Qui naturâ ſunt valdè craſſi, citiùs intereunt quàm qui graciles.

COMMENT.

Habitus à prima origine quadratus, inter craſſitudinem ſcilicet & gracilitatem medius, optimus cenſetur, vt qui ad extremum vſque ſenium perdurare valeat: naturâ tamen graciles longiore vita fruuntur valdè obeſis.

Quæcunque corpora venas & arterias habent anguſtas, parúmque ſanguinis & ſpiritus, ea minùs viuunt: quæ verò ſecus ſe habent, longioris ſunt vitæ.

Plurima corpora naturâ obeſa, venas & arterias habent anguſtas, parúmque ſanguinis & ſpiritus: gracilia verò ſecus ſe habent, Ergo

Plurima corpora natura obeſa minùs viuunt, gracilia verò longioris ſunt vitæ.

APHOR.

APHOR XLV.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ, μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

Epilepsiâ laborantes pueros, cùm loci victúsque tum maximè ætatis mutatio liberat.

COMMENT.

Quicunque morbo laborant ab humiditate, copiosísque vaporibus oriundo, curationem admittente: illi non nisi exsiccantibus & roborantibus auxiliis liberantur.

Pueri plerique epileptici, morbo laborant ab humiditate copiosísque vaporibus oriundo, curationem admittente. Ergo

Pueri plerique epileptici, non nisi exsiccantibus & roborantibus auxiliis liberantur.

Quia verò tenella puerorum corpora non ferunt multa remedia, ideò mutatione loci & victus ea sicciora validioráque reddere enitendum, quod præsertim assequuntur ætatis progressu: hæc enim, vt res naturalis, maiorem vim molliora corpora siccandi ac roborandi habere videtur, quàm res non naturales dictæ. Simile quid habetur aphor.7.sect.5.

APHOR. XLVI.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Duobus simul doloribus nõ eundem locum occupantibus, vehementior alterum obscurat.

COMMENT.

Quotiescũque plura obiecta sic facultati sẽtiẽti occurrunt. vt eorum alterum, vehementius nempe receptricem facultatis illius potentiã magna, vi expleat, eiusdémque facultatis & superiorũ animaduersionẽ & iudicium in se conuertat ac detineat: tũc obiecta illa ita se habẽt ad sẽtiẽtẽ facultatẽ, vt à validiore debiliora obscurẽtur adeò vt sentiri nequeant.

Quotiescunque duo dolores fiunt magnitudine impares, nec partẽ eandem occupantes, tunc plura obiecta sic facultati sentiẽti, *nimirum tactrici*, occurrunt vt eorum alterum, vehementius nempe, receptricem facultatis illius potentiam magna vi expleat, eiusdémque & superiorum facultatum animaduersionem & iudicium in se conuertat ac detineat. Ergo.

Quotiescunque duo dolores fiunt magnitudine impares, nec partem eandem occupantes, tunc illi ita se habent ad sentientem facultatem, vt à validiore debilior obscuretur adeò vt sentiri nequeat.

APHOR. XLVII.

Περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γινομένου.

Dum

Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis quàm confecto.

COMMENT.

Quotiescunque inflammationis materia, vi duplicis caloris, *naturalis nempe & extranei*, maximè efferuescit, inflammatámque partem violenter distendit ac veluti dilacerat, dolores & febres accidunt: vbi verò desinit illa tum efferuescentia, tum distentio, dolores ac febres sedantur.

Dum pus conficitur, inflammationis materia duplicis caloris vi maximè efferuescit, inflammatámque partem violenter distendit ac veluti dilacerat: pure autem confecto, desinit illa tum efferuescentia tum distentio.

Ergo

Dum pus conficitur, dolores & febres accidũt: pure autem confecto, sedantur.

APHOR. XLVIII.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς, ἄκοπον.

In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem leuat.

COMMENT.

Omnis effectus, nullam dum fieri incipit, ex se permansionem habens, ad cessationem suæ causæ effectricis statim euanescit.

Labor seu lassitudo corporũ quæ quoquo mo-

do exercentur, est effectus nullam dum fieri incipit, ex se permansionem habens. Ergo

Labor seu lassitudo corporũ quæ quoquo modo exercentur, ad cessationem exercitij, vt causæ effectricis, statim euanescit.

APHOR. XLIX.

Οἱ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων ῥᾷον φέρουσι.

Consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles ac senes, non consuetis fortibus & iuuenibus faciliùs ferunt.

COMMENT.

Quicunque præter adscititium robur quarundam corporis partium, sunt etiam instructi habitu seu promptitudine ad certos labores: illi, quamuis alioquin debiles aut senes, eos tamen labores facilè ferunt: contrà qui adscititio illo robore, habitúque seu promptitudine carent ad eos labores: illi, quamuis alioquin robusti & iuuenes, eosdem tamen labores, difficiliùs ferunt.

Qui certis laboribus vel exercitiis sunt assueti, præter adscititiũ robur quarundam corporis partium exercitatarum, sunt etiam instructi habitu seu promptitudine ad eos labores: contrà inassueti, adscititio illo robore, habitúque seu promptitudine carent ad eos labores. Ergo

Qui

Qui certis laboribus vel exercitiis sunt assueti, illi quamuis alioquin debiles aut senes, eos tamen labores facilè ferunt: contrà inassueti, quamuis alioquin robusti & iuuenes, eosdem tamen labores difficiliùs ferunt.

APHOR. L.

Τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ἦ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε· δεῖ οὖν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

Consueta longo tempore, etiamsi deteriora sint, insuetis minùs molesta solent esse: quare ad insolita quoque facienda mutatio.

COMMENT.

Quæcunque naturæ nostræ maximè amica & iucunda sunt: illa etiamsi per se deteriora, minùs tamen nocent: quæ verò aduersa sunt & iniucunda, quamuis simpliciter meliora, magis tamen lædunt.

Consueta longo tempore, naturæ nostræ maximè amica & iucunda sunt: insueta verò sunt nobis aduersa & iniucunda. Ergo

Consueta longo tempore, etiamsi per se deteriora, minùs tamen nocent: insueta verò quamuis simpliciter meliora, magis tamen lædunt.

Maior patet: vt enim similia & iucunda nobis prosunt, ita dissimilia & iniucunda officiũt.

Minor item est conspicua: nam consuetudo altera est natura, nempe adscititia & quę consueta sunt, ad res naturales dictas proximè accedunt. Cùm igitur consueta, etiam deteriora, minùs insuetis melioribus noceant, ideò ne quid obsit, ad omnia quantum natura fert, paulatim assuescere conuenit.

APHOR. LI.

Τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν. καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. τὸ δὲ κατ᾽ ὀλίγον, ἀσφαλές, καὶ ἄλλως ἢν καί τις ἐξ ἑτέρου ἐφ᾽ ἕτερον μεταβαίνῃ.

Plurimùm & repentè vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere, periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum: quod verò paulatim fit, tutum est, cùm aliàs, tum quum ab vno ad aliud fit transitus.

COMMENT.

Omne nimium & violentum est humanæ naturæ inimicum.

Omnis magna mutatio subitò & vniuersim facta, nimia est ac violenta. Ergo

Omnis magna mutatio subitò & vniuersim facta, est humanæ naturæ inimica.

Maior

Maior eſt euidens, humana ſiquidem natura conſiſtit in certa commoderatione, cui exceſſus omnis aduerſarius.

APHOR. LII.

Πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ᾽ ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, nõ eſt trãſeundum ad aliud, ſtante eo quod ab initio viſum eſt.

COMMENT.

Quotieſcunque medico conſtat, progrediente morbo, ſcopos eoſdem curatiuos in ægro corpore permanere, quos ab initio morbi perſpectos habuit: ad noua remedia non eſt temerè tranſeundum, quamuis priorum ritè adminiſtratorum ſucceſſus expectationi reſpondere non videatur.

Sæpenumero in morbis chronicis aut curatu difficilibus, medico cõſtat progediente morbo ſcopos eoſdẽ curatiuos permanere, quos ab initio morbi perſpectos habuit. Ergo

Sæpenumero in morbis chronicis, aut curatu difficilibus, ad noua remedia non eſt temerè tranſeundum, quamuis priorum ritè adminiſtratorum ſucceſſus expectationi reſpondere non videatur.

Maior eſt nota: nam ſi præſcripta ſemel remedia debellando morbo ſunt idonea, quor-

ſum manentibus iiſdem indicantibus illa mutaremus? certum eſt enim non niſi ad indicantium mutationem, remedia mutari oportere.

APHOR. LIII.

Ὁκόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι, νέοι μὲν ὄντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων· ἐς δὲ τὸ γῆρας, χεῖρον ἀπαλλάσσουσι. ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπιτοπολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι.

Quicunque in iuuentute aluum habent humidam, meliùs degũt quàm qui ſiccam, in ſenectute verò peius habent: ipſis enim ſeneſcentibus plerumque reſiccatur.

COMMENT.

Quicquid reddit corpora puriora, ſalubritatem eis conciliat: quod verò impura, inſalubritatem.

Aluus humida, *quæ ſcilicet fæces excernit molles, quantitate debita, & opportuno tempore*, reddit corpora puriora: aluus verò ſicca *quæ duras paucaſque fæces, & per longa interualla emittit*, corpora facit impura. Ergo

Aluus humida ſalubritatem corporibus conciliat, ſicca verò inſalubritatem.

Hinc ſequitur iuuenes humidam aluum habentes, ſalubriùs degere quàm qui ſiccam habent: vtrique verò ſeneſcentes, contrarias plerunque

rumque subeunt vicissitudines, vt 20. huius sect. aphor. traditum.

Aphor. LIV.

Μεγέθει δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀηδὲς. ἐγγηρᾶσαι δὲ, δύσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Magnitudo corporis in iuuentute liberalis & speciosa, in senectute verò grauis, & paruitate deterior.

COMMENT.

Quicquid decus vtilitatémque iuuenibus affert, senibus detrimentum ac deformitatem: illud iuuenibus est gratum, senibus verò molestum.

Magnitudo corporis decus vtilitatémque iuuenibus affert, senibus detrimentum ac deformitatem. Ergo

Magnitudo corporis, iuuenibus grata, senibus verò molesta.

Minor probatur: in florente enim ætate, facultatum omnium robur, membrorum magnitudini maxima parte respondet, nec dissimilis actionum perfectio ex vtrisque resultat: in senectute verò contrarium euenit, vnde fit vt procera corpora senescentia, ob supernarum partium pondus sæpe incuruentur ac gibbosa fiant. Hac de causa iuuenibus qui procero sunt corpore vitandæ sunt gibbositatis causæ, puta

ponderum prægrauium gestatio, immodica venus, & quæcunque neruis, musculis, ac ligamentis imbecillitatem afferunt.

SECVNDÆ SECTIONIS

FINIS.

PAVLI

PAVLI OFFREDI MEDICI,

IN TERTIAM HIPpocratis Aphoriſmorum ſectionem,

Commentaria Aphoriſtica, ad methodum analyticam redacta.

Argumentum ſectionis.

PROGNOSTICA *ſigna exponit, quatenus medico ſuggeruntur à temporum mutationibus, ventorum flatibus, locorum differentiis, varia cœli conſtitutione, ac ætatum diſcrimine.*

APHOR.

APHOR. I.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως.

Mutationes temporum potissimùm pariunt morbos, & in ipsis temporibus magnæ mutationes frigoris aut caloris, & alia pro ratione similiter.

COMMENT.

Quæcunque corpus nostrum valdè immutant, in variásque intemperātias detrudunt, multas pariunt morborum species.

Omnes aëris mutationes, præsertim magnæ, *siue in quatuor anni temporum vicissitudinibus tum solitis ac legitimis, tum insolitis ac degeneribus, siue in ipso cuiusque temporis decursu contingant*, aliæque vehementes mutationes in cæteris rebus non naturalibus, corpus nostrum valdè immutant, ac *pro varia eius dispositione* in varias intemperantias detrudunt.

Ergo

Omnes aëris mutationes, præsertim magnæ, aliæque vehementes mutationes in cæteris rebus non naturalibus, multas pariunt morborum species: *in sequentibus videlicet aphorismis recensendas.*

APHOR. II.

Τῶν φυσίων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς

πρὸς χειμῶνα, εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

Naturarum quædam ad æſtatem, aliæ ad hyemem bene aut malè ſe habent.

COMMENT.

Omne intemperatum, à qualitatibus contrariis adiuuatur, & ad moderationem reducitur, à ſimilibus verò lædĩtur, fitque intemperatius.

Corpus valdè calidum vel etiam ſiccum, item valdè frigidum vel humidum ſimul, eſt intemperatum. Ergo

Corpus valdè calidum vel etiam ſiccum, item valdè frigidum vel humidum ſimul, à qualitatibus contrariis adiuuatur, & ad moderationem reducitur, à ſimilibus verò læditur, fitque intemperatius.

Ob hanc rationem temperamenta quædam æſtate, alia hyeme, bene aut malè ſe habent.

APHOR. III.

Τῶν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι, καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Morbi alij ad alia tempora bene vel malè ſe habent, & quædam ætates ad alia tempora, & loca, & aliud victus genus.

COMMENT.

Omnis immoderatio à contraria immodera-

tione corrigitur : à ſimili verò fouetur vel augetur.

Omnis in intemperie morbus, ætáſque omnis intemperata, eſt immoderatio. Ergo

Omnis in intemperie morbus, ætáſque omnis intemperata, ab immoderatione contraria *putà temporis, loci, & victus* corrigitur : à ſimili verò fouetur vel augetur.

APHOR. IIII.

Ἐν τῇσιν ὥρῃσιν ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης ὁτὲ μὲν θάλπος, ὁτὲ δὲ ψύχος γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή.

In temporibus, quum eodem die modò calor, modò frigus, autumnales morbi expectandi.

COMMENT.

Quotieſcunque aëris intemperies eſt varia, inconſtans, & autumnalis : morbi autumnales expectandi.

Quum eodem die modò viget calor, modò frigus : aëris intemperies eſt varia, inconſtans, & autumnalis. Ergo

Quum eodem die modò viget calor, modò frigus: morbi autumnales expectandi.

APHOR. V.

Νότοι βαρήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοὶ, ὁκόταν οὗτος δυνα-

δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν. Ἢν δὲ βόρειον ᾖ, βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραί, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων. ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes: quum itaque huiuſcemodi tempeſtas dominatur, talia inualidis accidunt. At ſi aquilonia fuerit, tuſſes, faucium aſperitates, alui duræ, dyſuriæ, horrores, lateris & pectoris dolores: hac itaque dominãte, talia infirmos expectare oportet.

COMMENT.

I.

Quotieſcunque à calido & humido cerebrum imbecillius neruíque humore madent ſuperfluo: tunc non ſolùm caput grauatur, atque auditus & viſus hebeſcunt, ſed membra quoque voluntario motui dicata, pigra euadunt.

Auſtro potiſſimùm dominante, à calido & humido cerebrum imbecillius neruíque humore madent ſuperfluo. Ergo

Auſtro potiſſimùm dominante, non ſolùm caput grauatur, atque auditus & viſus hebeſcunt, ſed membra quoque voluntario mo-

tui dicata, pigra euadunt.

Quare dominante austro talia symptomata prædicenda.

II.

Quotiescunque ab externa causa multùm refrigerante & siccante cerebrum comprimitur, trachea cum thorace læditur, hepatis calor intenditur, vaporum transpiratio cohibetur, & venarum compressione aquosa materia in vesicā potissimùm propellitur, ipsáque vesica cum suis musculis refrigeratur: tunc pro varia partium imbecillitate tusses fiunt, faucium asperitates, alui duræ, dysuriæ, horrores, lateris, & pectoris dolores.

Aquilone potissimùm dominante, cerebrum ab externa causa multùm refrigerante & siccante comprimitur, tracheā cum thorace læditur, hepatis calor intenditur, vaporum transpiratio cohibetur, & venarum compressione aquosa materia in vesicam potissimùm propellitur, ipsáque vesica cum suis musculis refrigeratur. Ergo

Aquilone potissimùm dominante, pro varia partium imbecillitate, tusses fiunt, faucium asperitates, alui duræ, dysuriæ, horrores, lateris & pectoris dolores.

Quare aquilone ingruente hęc præsagienda.

APHOR. VI.

Ὁκόταν θέρος γένηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή.

Quum

Quum æstas fit similis veri, sudores in febribus multos expectare oportet.

COMMENT.

Quotiescunque aër ambiens est moderatè calidus, corpora verò humida, sudores multos in febribus expectare oportet.

Quando æstas fit similis veri, aër ambiens est moderatè calidus, corpora verò humida.

Ergo

Quando æstas fit similis veri, sudores multos in febribus expectare oportet.

Maior patet: nam vt ambientis calor causa est sudorem faciens, ita corporum humiditas sudoris materia: moderatus autem aëris calor verno similis humiditatem ad cutim euocans, in speciem vaporis non resoluit, vt prævalidus æstate legitima.

APHOR. VII.

Ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται. καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλέον ἢ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἵην τὴν κατάστασιν ἐποίησεν, ὡς ἐπιτοπολὺ καὶ τὰ νοσήματα τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι.

Magnis siccitatibus febres fiunt acutæ: quòd si annus talis esse pergat, qualem temporis statum effecerit, tales ferè morbos expectare oportet.

COMMENT.

Quotiescunque acrior bilis in corporibus a-

bundat, febres quæ inuadunt, ſolent eſſe acutæ.

In magnis temporum ſiccitatibus, acrior bilis in corporibus abundat. Ergo

In magnis temporum ſiccitatibus, febres quæ inuadunt, ſolent eſſe acutæ.

Et in genere, morborum plerique ab aëris intemperie non exiguam occaſionem ſumunt.

Aphor. VIII.

Ἐν τοῖσι καθεστῶσιν καιροῖσιν ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται· ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι.

Certis temporibus & ſuam tempeſtiuitatem ſeruantibus, certi ac iudicatu faciles morbi fiunt: incertis autem & alienis, incertę quoque ægritudines fiunt, & ad iudicandum difficiles.

COMMENT.

Omnes cauſæ morbificæ certæ & conſtantes, certos morbos producunt iudicatu faciles: incertæ autem incertos & iudicatu difficiles.

Anni tempora legitimam temperiem retinentia, reſpectu multorum corporum inualidorum, cauſæ ſunt morbificæ certæ & conſtantes: eadem verò tempora perturbata alie-

námque

námque temperiem adepta, causæ sunt morbificæ incertæ & inconstantes. Ergo

Anni tempora legitimam temperiem retinentia, respectu multorum corporum inualidorum, certos morbos producunt iudicatu faciles: eadem verò tempora perturbata alienámque temperiem adepta, incertos & iudicatu difficiles.

APHOR. IX.

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν· ἦρ δὲ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

Autumno in vniuersum morbi acutissimi & perniciosissimi: ver autem saluberrimum & minimè exitiosum.

COMMENT.

Quocunque tépore plures validioresque morborum causæ vigent, morbi solent fieri acutissimi & perniciosissimi: quo verò tempore pauciores leuioresque, illud saluberrimum est minimeque exitiosum.

Autumno plures validioresque morborū causæ magna ex parte vigent: vere pauciores leuioresque. Ergo

Autumno morbi solent fieri acutissimi & perniciosissimi: ver autem saluberrimum est minimeque exitiosum.

Minor probatur: primò quoniam autumnus æstatem excipit acrium adustorúmque humo-

rum feracem, ac virium robur dissoluentem: secundò quoniam autumno eâdem die modò calor, modò frigus, quæ inæqualitas & virium imbecillitatem & prauorum humorū copiam adauget: tertiò quia humores qui priùs per cutis perspiratū digerebātur à frigore ambientis intrò coguntur, adde multorū fructuum esum cacochymiam augentium. At ver temperatissimum, à recēsitis morborum causis remotum, cutis laxitate transpirationem liberam reddēs, multásque morborum occasiones adimens, inter anni tempora meritò saluberrimum censetur.

Aphor. X.

Τὸ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν.

Autumnus tabidis malus.

COMMENT.

Quicquid tum per se, tum acres fuligines cohibendo, corpora siccat, & eorum vires deiicit, est tabidis infensum.

Autumnus, tum per se, tūm acres fuligines cohibendo, corpora siccat, & *sui inæqualitate* vires eorum deiicit. Ergo

Autumnus est tabidis infensus.

Aphor. XI.

Περὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τοῦ θέρεος πυρετοὺς ὀξέες, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας

σεντερίας γίνεσθαι, μάλιστα δὲ τῆσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας.

Inter anni tempora, si hyems sicca & aquilonia, ver pluuiosum & australe fuerit, æstate necesse est febres acutas fieri, & ophthalmias, & dysenterias, mulieribus præsertim, & viris naturâ humidioribus.

COMMENT.

Quotiescunque humores noxij iamdudum intra corpus coacti & aceruati, superuenientibus contrariis causis liquantur, dein caloris humidi vehementiâ inflammantur & putrescunt: tunc necesse est febres acutas fieri, & ophthalmias ac dysenterias. mulieribus præsertim ac viris natura humidioribus, *præ [illegible] ria scilicet partium imbecillitate, & ad morbos dictos procliuitate.*

Quotiescunque hyems sicca & aquilonia, ver pluuium & australe, æstas legitima fuerit, *naturam nempe suam retinens*: humores noxij per hyemem intra corpus coacti & aceruati, superuenientibus vere contrariis causis liquantur, dein æstate caloris humidi vehementiâ, *ob terram etiamnum madentem & calidam*, inflammantur & putrescunt. Ergo

Quotiescunque hyems sicca & aquilonia, ver pluuium & australe, æstas legitima fuerit: tūc necesse est febres acutas fieri, & ophthalmias ac dysenterias, mulieribus præsertim

& viris naturá humidioribus.

APHOR. XII.

Ην δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος καὶ εὔδιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ἧσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν· αἳ δὲ ἂν τέκωσιν, ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν, ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτὰ καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα· τοῖσι δὲ ἄλλοισι δυσεντερίαι, καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίνονται. τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι συντόμως ἀπολλύντες.

Si verò auſtralis hyems, & pluuioſa, & tepens fuerit, ver ſiccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, quauis occaſione abortiunt: aut ſi pariant, tam infirmos & morboſos partus edunt, vt vel ſtatim intereant, vel tenues & valetudinarij viuant: cæteris dyſenteriæ & ophthalmiæ ſiccæ fiunt, & ſenibus catarrhi citò interimentes.

COMMENT.

Quotieſcunque rarefactæ iamdudum cuti, ſuperfluiſque humoribus liquatis & omnes corporis partes occupantibus, refrigerans cauſa

causa superuenit quæ apertos cutis meatus repentè subingressa, primò quidem internis frigidiorum præcipuè mulierũ partibus noxam infert, posteà superfluos humores intrò pellit, & adstrictione cutis eosdem per accidens calefacit:tunc, *& ob subitam internarum partium refrigerationem, & prs humorum copia*, fœtus multis modis periclitantur, calidioribus verò corporibus, vel densiore habitu præditis, *adaucto etiam per accidens interno viscerum & humorum calore*, dysenteriæ & ophthalmiæ siccæ fiunt: senibus verò, *ab externo frigore languidum cerebrum comprimente, ac totius venas angustante*, catarrhi perniciosi.

Quotiescunque hyems australis & pluuiosa fuerit, ver siccum & aquilonium, rarefactæ iamdudum *per hyemem tepidam* cuti, superfluísque humoribus liquatis & omnes corporis partes occupantibus, refrigerans causa superuenit quæ apertos cutis meatus repentè subingressa, primò quidem internis frigidiorum præcipuè mulierum partibus noxam infert, posteà superfluos humores intrò pellit, & adstrictione cutis eosdem per accidens calefacit. Ergo

Quotiescunque hyems australis & pluuiosa fuerit, ver siccum & aquilonium, tunc & fœtus multis modis periclitantur, & calidioribus corporibus, vel densiore habitu præditis dysenteriæ ac ophthalmiæ siccæ fiunt, senibus verò catarrhi perniciosi.

APHOR. XIII.

Ην δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίαι ἰσχυραὶ ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες.

Æſtate verò ſicca & aquilonia, autumno pluuioſo & auſtrali, capitis dolores ad hyemem fiunt, & tuſſes, & raucitates, & grauedines, nonnullis etiam tabes.

COMMENT.

Quotieſcunque ſudoribus conſuetis & per cutim exhalationibus cohibitis, cauſæ ſuperueniunt primò quidem ſuccos liquantes & augentes, præſertim in capite, dein eoſdem intus cogentes atque exprimentes in partes ſubiectas: cephalalgiæ fiunt, & tuſſes, & raucitates & grauedines, nonnullis etiam tabes: *pro varia ſcilicet partium imbecillitate, variaque humorum peccantium diſcrimine.*

Quum æſtas ſicca & aquilonia fuerit, autumnus pluuioſus & auſtralis, hyems propriam naturam retinuerit: ſudoribus per æſtatem conſuetis, ac per cutim exhalationibus cohibitis, cauſæ ſuperueniunt primò quidem ſuccos liquantes & augentes, præſertim in capite, dein eoſdem intus cogẽtes atque exprimentes in partes ſubiectas. Ergo

Quum

Quum æſtas ſicca & aquilonia fuerit, autumnus pluuioſus & auſtralis, hyems propriam naturam retinuerit: cephalalgiæ fiunt, & tuſſes,& raucitates, & grauedines, nonnullis etiam tabes.

APHOR. XIV.

Ην δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσι ἐοῦσι τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυναιξὶ ξύμφορον, τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραὶ, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

Sin aquilonius & ſiccus autumnus fuerit, hominibus naturâ humidis, & mulieribus bene erit: alios ophthalmiæ ſiccæ, & febres partim acutæ, partim lõgæ, quoſdam etiam melancholiæ malè habebunt.

COMMENT.

Quotieſcunque cauſæ valde exſiccantes longo tempore vigent, humidiora & molliora corpora, qualia in primis muliebria, iuuantur, ſicciora verò ac duriora læduntur.

Quotieſcũque vnà cum æſtate autumnus item ſiccus & aquilonius fuerit, cauſæ valdè exſiccantes longo tempore vigent. Ergo

Quotieſcũque vnà cum æſtate autumnus item ſiccus fuerit & aquilonius, humidiora & molliora corpora. qualia in primis muliebria, iuuantur, ſicciora verò ac duriora læduntur.

Siccitas namque immodica, humores crassefaciendo, & cutim densando atque exasperando, siccas ophthalmias inu. hit, ac febres partim acutas a bile syncera, partim longas a bile nigra, vel sola, vel bili admixta, & in nonnullis ex bile nigra affectus producit melancholicos.

APHOR. XV.

Τῶν δὲ καταστάσιων τοῦ ἐνιαυτοῦ, τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρειῶν εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

Ex tempestatibus anni, in vniuersum siccitates imbribus salubriores & minùs mortiferæ.

COMMENT.

Quæcunque causæ excrementa minuunt, putredinem arcent, & corpora firmant, illę contraria facientibus sunt salubriores & minùs mortiferæ.

Siccæ tempestates in vniuersum, excrementa minuunt, putredinem arcent, & corpora firmant: humidæ verò ac pluuiosæ contraria faciunt. Ergo

Siccæ tẽpestates in vniuersum, humidis ac pluuiosis sunt salubriores & minùs mortiferæ.

APHOR. XVI.

Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρείῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ

ἐπίλη-

ἐπίληπτοι, καὶ ἀπόπληκτοι, καὶ κυνάγχαι· ἐν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινώδεες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι.

Per aſſiduos imbres morbi fere fiunt, febres longæ, fluxiones alui, putredines, epilepſiæ, apoplexiæ, anginæ. Per ſiccitates autem morbi tabifici, ophthalmiæ, arthritides, ſtranguriæ, & dyſentiæ.

COMMENT.

Quæcunque cauſæ pituitam vel ſanguinem pituitoſum immodicè augent, illæ pituitoſos morbos pariunt, quales ſunt febres longæ, ventris fluxiones, putredines, epilepſiæ apoplexiæ, & aliquando etiam inflammatorios, vt ſunt anginæ: quæcunque verò cauſæ humorum acrium copiam producunt, illę morbos efficiunt humorum acrimoniæ atteſtantes. cuiuſmodi ſunt tabes, ophthalmię, arthritides, ſtranguriæ, dyſenteriæ.

Tempeſtates aſſiduis pluuiis madidæ, ratione humidorum corporum, cauſæ ſunt pituitam vel ſanguinem pituitoſum immodicè augentes: ſiccæ verò & calidę, ratione conſimilium temperamentorum, ſunt cauſæ humorum acrium copiam producentes. Ergo

Tempeſtates aſſiduis pluuiis madidæ, in humidis corporibus, pituitoſos morbos pariunt, & aliquando etiam inflammatorios ſupradictos: ſiccę verò & calidę, in conſimilibus temperamentis, morbos efficiunt humorum acri-

moniæ atteſtantes, cuiuſmodi ſunt tabes, ophthalmiæ, &c.

APHOR. XVII.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι τά τε σώματα συνιστῶσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον πονέουσιν· αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας, καὶ καρηβαρίας ποιέουσιν, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

Quotidianæ tempeſtates, aquiloniæ cogunt corporà firmántque, mobiliora item expeditioráque, & coloratiora, & auditu valentiora reddunt, aluum ſiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis habuerit, exaſperant: auſtrinę verò corpora ſoluunt & humectant, auditum hebetāt, caput grauant, vertiginem oculis, tarditatem & langorem corporibus adferunt, aluum humectant.

COM-

COMMENT.

I.

Quæcunque naturalem calorem confirmant, humida excrementa minuunt, partiúmque omnium ſubſtantiam cogunt ac denſant, illa reddunt ſana corpora robuſta, agilia, bene colorata, vegetíſque ſenſus: eadem tamen aluum ferè ſiccant, oculos imbecilliores mordent, & pectoris dolorem prægreſſum exaſperant.

Quotidianæ tempeſtates aquiloniæ, licèt non diuturnæ, naturalem calorem confirmant, humida excrementa minuunt, partiúmque omnium ſubſtantiam cogunt ac denſant.

Ergo

Quotidianæ tempeſtates aquiloniæ, licèt non diuturnæ, reddunt ſana corpora robuſta, agilia, bene colorata, vegetíſque ſenſus: aluũ tamen ferè ſiccant, oculos imbecilliores mordent, & pectoris dolorem prægreſſum exaſperant.

II.

Quæcunque naturalem calorem infirmant, excrementorum copiam augent, partiúmque omnium ſubſtantiam ſoluunt & laxant, illa tum ſanis tum maximè infirmis corporibus omnes ſenſus hebetant, caput grauant, vertiginem ac motus tarditatem inducunt, aluum humectant.

Quotidianæ tempeſtates auſtrinæ calorem naturalem infirmant, excrementorum copiam augent, partiúmque omnium ſubſtantiam

soluunt & laxant. Ergo

Quotidianæ tempestates austrinæ, tum sanis tum maxime infirmis corporibus omnes sensus habetant, caput grauant, vertiginem ac motus tarditatem inducunt, aluum humectant.

APHOR. XVIII.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος, καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν ἄριστά τε διάγουσι καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα· τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μὲν τινὸς, οἱ γέροντες· τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Per tempora autem anni, vere & prima æstate pueri, & his ætate proximi, optimè degunt, valéntque maximè: æstate verò & autmni ad aliquam vsque partem senes: reliquo autumno & hyeme, qui mediam ætatem agunt.

COMMENT.

Quicunque temperata sunt ætate, bene habent temperato anni tempore: qui verò intemperatâ, à contrario anni tempore intemperato meliùs habent.

Pueri & adolescentes ætate sunt temperata: senes verò ætate sunt frigidiore, iuuenes & viri calidiore. Ergo

Pueri

Pueri & adolescentes vere & prima æstate téperatis : senes reliqua æstate & primo autumno calidioribus : iuuenes & viri reliquo autumno & hyeme frigidioribus temporibus meliùs habent, *utpote à morbis quos ætatum ac temporum dyscrasia ferunt, immunes.*

APHOR. XIX.

Νοσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δὲ ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

Quilibet morbi in quibusuis temporibus fieri possunt, nonnulli tamen in quibusdam magis & fiunt & irritantur.

COMMENT.

Quoties non solùm causæ omnes morbificæ, è rebus potissimùm non naturalibus emergétes, sed apta etiam corpora ad patiendum illarum causarum noxam præstò esse possunt, toties quilibet morbi possunt fieri.

Quouis anni tempore non solùm causæ omnes morbificæ, è rebus potissimùm non naturalibus emergentes, sed apta etiam corpora ad patiendum illarum causarum noxam præstò esse possunt. Ergo

Quouis anni tempore quilibet morbi fieri possunt.

Interim tamen aëris temperaturâ cæteras causas morbificas iuuante vel impediente, nõnulli morbi in quibusdam temporibus magis

minúſve fiunt aut irritantur.

APHOR. XX.

Τῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ λέπραι, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσαι, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Vere enim inſania, melancholia, epilepſia, fluxiones ſanguinis, anginæ, grauedines, deſtillationes, tuſſes, lepræ, impetigines, vitiligines, & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, tubercula, articulorum dolores.

COMMENT.

Quicunque morbi vere potiſſimùm fiũt, à ſanguine ſcilicet redundante, attenuato, & in varias corporis partes impetum habente, vel à prauis humoribus ad cutim rarefactam, aut ad articulos ob veris teporem laxiores detruſis, illi omnes morbi ſunt verni propriè dicti: qui autem non magis vere quàm alio quouis tempore ab aliis excitantur humoribus, vt vere fiunt, verni morbi dici poſſunt, at minùs propriè.

Omnia ſanguinis profluuia, aliæque ſanguinis fluxiones à quibus anginæ, & reliquæ phlegmonum

gmonum species, vere potissimùm fiunt, à sanguine scilicet redundante, attenuato, & in varias corporis partes impetum habente: item scabies, impetigo, vitiligo, pustulæ vlcerosæ, tubercula, & articulorũ dolores, à prauis fiunt humoribus *vel synceris, vel cum sanguine mixtis*, ad cutim rarefactam, aut articulos ob veris teporem laxiores detrusis: insania verò, melancholia, epilepsia, grauedo, destillatio, tussis, non magis vere quàm alio quouis tempore ab aliis excitantur humoribus.

Ergo

Omnia sanguinis profluuia, aliæque sanguinis fluxiones à quibus anginæ, & reliquæ phlegmonum species: item scabies, impetigo, vitiligo, pustulæ vlcerosæ, tubercula, & articulorum dolores, morbi sunt verni propriè dicti: insania verò, melancholia, epilepsia, grauedo, destillatio, tussis, vt vere fiunt, morbi verni dici possunt, at minùs propriè.

Aphor. XXI.

Τοῦ δὲ θέρεος, ἔνιά τε τουτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι, πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάρῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

Aestate verò nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, vomitiones item,

alui profluuia, ophthalmiæ,aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines,& sudationes.

COMMENT.

Quicunque morbi æstate potissimùm fiunt, à bile nimirùm biliosóve sanguine, aut ab insigni ambientis æstu, illi omnes æstiui sunt morbi propriè dicti: qui verò à calido simúlque frigido humore,vel ambiente simul humidiore nascuntur, vt æstate fiunt, morbi sunt & dicuntur æstiui,sed minùs propriè.

Febres continuæ, ardentes, & tertianæ legitimæ,vel à legitimis parùm recedentes, vomitiones item,diarrhœæ, ophthalmiæ,aurium dolores, oris vlcerationes,sudationes,æstate potissimùm fiunt, à bile nimirùm biliosóve sanguine,aut ab insigni ambiẽtis æstu: quartanæ verò & tertianæ nothæ à calido simúlque frigido humore nascuntur, genitalium putredines ac nonnulli morbi verni prima æstate geniti, à succo vel ambiente simul humidiore. Ergo

Febres continuæ, ardentes, & tertianæ legitimæ,vel a legitimis parùm recedentes, vomitiones item, diarrhœæ, ophthalmiæ,aurium dolores,oris vlcerationes,sudationes morbi sunt æstiui propriè dicti: quartanæ verò & tertianæ nothæ, genitalium putredines ac nonnulli morbi verni prima æstate geniti, vt æstate fiunt,morbi sunt & dicuntur æstiui, sed minùs propriè.

APHOR.

Aphor. XXII.

Τοῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι, καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνόγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Autumno æstiui etiam multi morbi, & febres quartanæ & incertæ, lienis tumor, aqua inter cutem, tabes, ſtranguria, leienteria, dyſenteria, iſchias, angina, aſthma, ileus, epilepſia, mania, melancholia.

COMMENT.

Quicunque morbi autumno potiſſimùm fiunt, à nigra ſcilicet bile aut ſanguine melancholico, mediatè vel immediatè, aut ab ambiente frigido & ſicco, aut à quotidiana aëris inæqualitate: illi autumnales ſunt morbi propriè dicti.

Febres quartanæ & erraticæ, lienis tumor, hydrops, tabes, ſtranguria, leienteria, dyſenteria, iſchias, angina, aſthma, ileus, epilepſia, mania, melancholia, autumno potiſſimùm fiunt, à nigra ſcilicet bile aut ſanguine melancholico, mediatè vel immediatè, aut ab ambiente frigido & ſicco, aut a quotidiana aëris inæqualitate. Ergo

Febres quartanæ & erraticæ, lienis tumor, hydrops &c. autumnales sunt morbi propriè dicti.

Qui verò morbi æstiui prima autumni parte generantur, autumnales impropriè dicuntur.

APHOR. XXIII.

Τοῦ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, ὀσφύος, κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι.

Hyeme pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tusses, pectoris, laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ.

COMMENT.

Quicunque morbi hyeme potissimùm fiunt, à pituita nempe vel sanguine pituitoso, aut ab algore, in pectus præsertim, in cerebrum, in cutim, & in humores, per se vel per accidens agente: illi hyemales sunt morbi propriè sic nuncupati.

Pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tusses, pectoris, laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ: hyeme potissimùm fiunt, à pituita nempe vel sanguine pituitoso, aut ab algore, in pectus præsertim, in cerebrum, in cutim, & in humores, per se vel per accidens agente. Ergo

Pleuri-

Pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, &c. hyemales sunt morbi propriè sic nuncupati.

APHOR. XXIV.

Εν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει, τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναί, ὤτων ὑγρότητες.

Secundum ætates autem hi morbi fiunt, paruis & nuper natis puerulis, oris vlcera, vomitiones, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

COMMENT.

Quæcunque corpora humidissima & mollissima, præter id quod cibo replentur copioso, detergente, & in ventriculo facilè putrente, ob solutionem etiam continui in parte aliqua dolorem patiuntur: illa potissimùm obnoxia sunt aphthis, vomitionibus, vigiliis, pauoribus, tussi, aurium humiditatibus, & inflammationibus partis dolentis.

Infantilia corpora, *hoc est à primo ortu ad mensem vsque septimum, vel paulo vlterius*, humidissima sunt ac mollissima, & præter id quod lac sugunt maximè copiosum, detergens *ratione seri*, & in ventriculo facilè putrescens: ob præcisum etiam vmbilicum dolorem patiuntur. Ergo

Infantilia corpora obnoxia potissimùm sunt

aphthis, vomitionibus, vigiliis &c.

APHOR. XXV.

Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν, οὔλων ὀδαξισμοὶ, πυρετοὶ, σπασμοὶ, διάρροιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παίδων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

Aduentante dentitionis tempore, gingiuarum pruritus, febres, conuulsiones, alui profluuia, maximè quum caninos edūt, & iis præsertim qui crassissimi sunt, & qui aluo sunt dura.

COMMENT.

Quæcunque corpora valde mollia, neruosámque substantiam infirmam adhuc habentia, dolore & inflammatione diu conflictantur, vigilant, & alimentum haud probè cōficiunt, neque distribuunt: illa pro varia eorum natura, corripiuntur febribus, conuulsionibus, alui profluuiis.

Puellorum dentire incipientium corpora ab initio ad finem vsque dentitionis, *hoc est à mense septimo vel octauo ad quartum vsque annum, vel paulò vlterius*, valde mollia sunt, neruosámque substantiam infirmam adhuc habentia, gingiuarum pruritu, dolore, & inflammatione diu conflictantur, vigilant, & alimentum haud probè conficiunt, neque distri-

distribuunt. Ergo

Puellorum dentire incipientium corpora ab initio ad finem vsque dentitionis, pro varia eorum natura, corripiuntur febribus, conuulsionibus, alui profluuiis.

Hæc verò symptomata puerulos maximè vrgent quum dentes caninos edunt, vt qui præ aliis sint acuminati, ac è gingiuis iam duriusculis prodeant: & quò crassiore fuerint habitu, aluóque duriore, eo magis febribus & epilepticis conuulsionibus, ob maiorem scilicet humorum copiam, erunt obnoxij.

Aphor. XXVI.

Πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι παρίσθμια, σφονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες, στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τ' ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Ipsis verò grandiusculis tonsillarum inflammationes, vertebræ in occipitio introrsum luxationes, anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, stranguriæ, strumæ, & alia tubercula, præcipuè verò antè dicta.

COMMENT.

Quicunque molli sunt corpore multúmque

moniæ atteſtantes, cuiuſmodi ſunt tabes, ophthalmiæ, &c.

APHOR. XVII.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι τά τε σώματα συνιστῶσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον πονέουσιν· αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας, καὶ καρηβαρίας ποιέουσιν, καὶ ἰλίγγοις ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

Quotidianæ tempeſtates, aquiloniæ cogunt corporà firmántque, mobiliora item expeditioráque, & coloratiora, & auditu valentiora reddunt, aluum ſiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis habuerit, exaſperant: auſtrinę verò corpora ſoluunt & humectant, auditum hebetãt, caput grauant, vertiginem oculis, tarditatem & langorem corporibus adferunt, aluum humectant.

COM-

COMMENT.

I.

Quæcunque naturalem calorem confirmant, humida excrementa minuunt, partiúmque omnium substantiam cogunt ac densant, illa reddunt sana corpora robusta, agilia, bene colorata, vegetísque sensus: eadem tamen aluum ferè siccant, oculos imbecilliores mordent, & pectoris dolorem prægressum exasperant.

Quotidianæ tempestates aquiloniæ, licèt non diuturnæ, naturalem calorem confirmant, humida excrementa minuunt, partiúmque omnium substantiam cogunt ac densant.

Ergo

Quotidianæ tempestates aquiloniæ, licèt non diuturnæ, reddunt sana corpora robusta, agilia, bene colorata, vegetísque sensus: aluũ tamen ferè siccant, oculos imbecilliores mordent, & pectoris dolorem prægressum exasperant.

II.

Quæcunque naturalem calorem infirmant, excrementorum copiam augent, partiúmque omnium substantiam soluunt & laxant, illa tum sanis tum maximè infirmis corporibus omnes sensus hebetant, caput grauant, vertiginem ac motus tarditatem inducunt, aluum humectant.

Quotidianæ tempestates austrinæ calorem naturalem infirmant, excrementorum copiam augent, partiúmque omnium substantiam

soluunt & laxant. Ergo

Quotidianæ tempestates austrinæ, tum sanis tum maximè infirmis corporibus omnes sensus hebetant, caput grauant, vertiginem ac motus tarditatem inducunt, aluum humectant.

APHOR. XVIII.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος, καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν ἄριστά τε διάγουσι καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα· τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μέν τινος, οἱ γέροντες· τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Per tempora autem anni, vere & prima æstate pueri, & his ætate proximi, optimè degunt, valéntque maximè: æstate verò & autumni ad aliquam vsque partem senes: reliquo autumno & hyeme, qui mediam ætatem agunt.

COMMENT.

Quicunque temperata sunt ætate, bene habent temperato anni tempore: qui verò intemperatâ, à contrario anni tempore intemperato meliùs habent.

Pueri & adolescentes ætate sunt temperata: senes verò ætate sunt frigidiore, iuuenes & viri calidiore. Ergo

Pueri

Pueri & adolescentes vere & prima æstate téperatis : senes reliqua æstate & primo autumno calidioribus : iuuenes & viri reliquo autumno & hyeme frigidioribus temporibus meliùs habent, *vtpote à morbis, quos ætatum ac temporum dyscrasia ferunt, immunes.*

APHOR. XIX.

Νοσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δὲ ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

Quilibet morbi in quibusuis temporibus fieri possunt, nonnulli tamen in quibusdam magis & fiunt & irritantur.

COMMENT.

Quoties non solùm causæ omnes morbificæ, è rebus potissimùm non naturalibus emergétes, sed apta etiam corpora ad patiendum illarum causarum noxam præstò esse possunt, toties quilibet morbi possunt fieri.

Quouis anni tempore non solùm causæ omnes morbificæ, è rebus potissimùm non naturalibus emergentes, sed apta etiam corpora ad patiendum illarum causarum noxam præstò esse possunt. Ergo

Quouis anni tempore quilibet morbi fieri possunt.

Interim tamen aëris temperaturâ cæteras causas morbificas iuuante vel impediente, nõnulli morbi in quibusdam temporibus magis

minúsve fiunt aut irritantur.

APHOR. XX.

Τοῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ λέπραι, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσαι, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Vere enim insania, melancholia, epilepsia, fluxiones sanguinis, anginæ, grauedines, destillationes, tusses, lepræ, impetigines, vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, tubercula, articulorum dolores.

COMMENT.

Quicunque morbi vere potissimùm fiũt, à sanguine scilicet redundante, attenuato, & in varias corporis partes impetum habente, vel à prauis humoribus ad cutim rarefactam, aut ad articulos ob veris teporem laxiores detrusis, illi omnes morbi sunt verni propriè dicti: qui autem non magis vere quàm alio quouis tempore ab aliis excitantur humoribus, vt vere fiunt, verni morbi dici possunt, at minùs propriè.

Omnia sanguinis profluuia, aliæque sanguinis fluxiones à quibus anginæ, & reliquæ phlegmonum

gmonum ſpecies, vere potiſſimùm fiunt, à ſanguine ſcilicet redundante, attenuato, & in varias corporis partes impetum habente: item ſcabies, impetigo, vitiligo, puſtulæ vlceroſæ, tubercula, & articulorũ dolores, à prauis fiunt humoribus *vel ſynceris, vel cum ſanguine mixtis*, ad cutim rarefactam, aut articulos ob veris teporem laxiores detruſis: inſania verò, melancholia, epilepſia, grauedo, deſtillatio, tuſſis, non magis vere quàm alio quouis tempore ab aliis excitantur humoribus.

Ergo

Omnia ſanguinis profluuia, aliæque ſanguinis fluxiones à quibus anginæ, & reliquæ phlegmonum ſpecies: item ſcabies, impetigo, vitiligo, puſtulæ vlceroſæ, tubercula, & articulorum dolores, morbi ſunt verni propriè dicti: inſania verò, melancholia, epilepſia, grauedo, deſtillatio, tuſſis, vt vere fiunt, morbi verni dici poſſunt, at minùs propriè.

Aphor. XXI.

Τοῦ δὲ θέρεος, ἔνιά τε τουτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι, πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

Aeſtate verò nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, vomitiones item,

alui profluuia, ophthalmiæ, aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines, & ſudationes.

COMMENT.

Quicunque morbi æſtate potiſſimùm fiunt, à bile nimirùm biliosóve ſanguine, aut ab inſigni ambientis æſtu, illi omnes æſtiui ſunt morbi propriè dicti: qui verò à calido ſimúlque frigido humore, vel ambiente ſimul humidiore naſcuntur, vt æſtate fiunt, morbi ſunt & dicuntur æſtiui, ſed minùs propriè.

Febres continuæ, ardentes, & tertianæ legitimæ, vel à legitimis parùm recedentes, vomitiones item, diarrhœæ, ophthalmiæ, aurium dolores, oris vlcerationes, ſudationes, æſtate potiſſimùm fiunt, à bile nimirùm biliosóve ſanguine, aut ab inſigni ambiẽtis æſtu: quartanæ verò & tertianæ nothæ à calido ſimúlque frigido humore naſcuntur, genitalium putredines ac nonnulli morbi verni prima æſtate geniti, à ſucco vel ambiente ſimul humidiore. Ergo

Febres continuæ, ardentes, & tertianæ legitimæ, vel a legitimis parùm recedentes, vomitiones item, diarrhœæ, ophthalmiæ, aurium dolores, oris vlcerationes, ſudationes morbi ſunt æſtiui propriè dicti: quartanæ verò & tertianæ nothæ, genitalium putredines ac nonnlli morbi verni prima æſtate geniti, vt æſtate fiunt, morbi ſunt & dicuntur æſtiui, ſed minùs proprie.

APHOR.

APHOR. XXII.

Τοῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι, καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Autumno æſtiui etiam multi morbi, & febres quartanæ & incertæ, lienis tumor, aqua inter cutem, tabes, ſtranguria, leienteria, dyſenteria, iſchias, angina, aſthma, ileus, epilepſia, mania, melancholia.

COMMENT.

Quicunque morbi autumno potiſſimùm fiunt, à nigra ſcilicet bile aut ſanguine melancholico, mediatè vel immediatè, aut ab ambiente frigido & ſicco, aut à quotidiana aëris inæqualitate: illi autumnales ſunt morbi propriè dicti.

Febres quartanæ & erraticæ, lienis tumor, hydrops, tabes, ſtranguria, leienteria, dyſenteria, iſchias, angina, aſthma, ileus, epilepſia, mania, melancholia, autumno potiſſimùm fiunt, à nigra ſcilicet bile aut ſanguine melancholico, mediatè vel immediatè, aut ab ambiente frigido & ſicco, aut a quotidiana aëris inæqualitate. Ergo

Febres quartanæ & erraticæ, lienis tumor, hydrops &c. autumnales sunt morbi propriè dicti.

Qui verò morbi æstiui prima autumni parte generantur, autumnales impropriè dicuntur.

APHOR. XXIII.

Τοῦ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, ληθαργοὶ, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, ὀσφύος, κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι.

Hyeme pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tusses, pectoris, laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ.

COMMENT.

Quicunque morbi hyeme potissimùm fiunt, à pituita nempe vel sanguine pituitoso, aut ab algore, in pectus præsertim, in cerebrum, in cutim, & in humores, per se vel per accidens agente: illi hyemales sunt morbi propriè sic nuncupati.

Pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tusses, pectoris, laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ: hyeme potissimùm fiunt, à pituita nempe vel sanguine pituitoso, aut ab algore, in pectus præsertim, in cerebrum, in cutim, & in humores, per se vel per accidens agente. Ergo

Pleuri-

Pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, &c. hyemales sunt morbi propriè sic nuncupati.

APHOR. XXIV.

Ἐν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει, τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναὶ, ὤτων ὑγρότητες.

Secundum ætates autem hi morbi fiunt, paruis & nuper natis puerulis, oris vlcera, vomitiones, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

COMMENT.

Quæcunque corpora humidissima & mollissima, præter id quod cibo replentur copioso, detergente, & in ventriculo facilè putrente, ob solutionem etiam continui in parte aliqua dolorem patiuntur: illa potissimùm obnoxia sunt aphthis, vomitionibus, vigiliis, pauoribus, tussi, aurium humiditatibus, & inflammationibus partis dolentis.

Infantilia corpora, *hoc est à primo ortu ad mensem vsque septimum, vel paulò vlterius*, humidissima sunt ac mollissima, & præter id quod lac sugunt maximè copiosum, detergens *ratione seri*, & in ventriculo facilè putrescens: ob præcisum etiam vmbilicum dolorem patiuntur. Ergo

Infantilia corpora obnoxia potissimùm sunt

diſtribuunt. Ergo

Puellorum dentire incipientium corpora ab initio ad finem vſque dentitionis, pro varia eorum natura, corripiuntur febribus, conuulſionibus, alui profluuiis.

Hæc verò ſymptomata puerulos maximè vrgent quum dentes caninos edunt, vt qui præ aliis ſint acuminati, ac è gingiuis iam duriuſculis prodeant: & quò craſſiore fuerint habitu, aluóque duriore, eò magis febribus & epilepticis conuulſionibus, ob maiorem ſcilicet humorum copiam, erunt obnoxij.

APHOR. XXVI.

Πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι παρίσθμια σφονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες, στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τ' ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Ipſis verò grandiuſculis tonſillarum inflammationes, vertebræ in occipitio introrſum luxationes, anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula, præcipuè verò antè dicta.

COMMENT.

Quicunque molli ſunt corpore multúmque

augentur, ac propter edacitatem copiosis crassisque scatent humoribus, nec inualidum habent calorem: illi magna ex parte tentantur tonsillarum inflammatione, vertebræ in occipitio introrsū luxatione, asthmate, vesicæ calculo, stranguria, lumbricis rotundis, ascaridibus, achrocordonibus, satyriasmis (id est oblongis glandularum circa aures tumoribus) strumis, aliisque tuberculis.

Pueri grandiusculi, *à quarto scilicet anno ad Vndecimum*, molli sunt corpore, multúmque augentur, ac propter edacitatem scatent copiosis crassisque humoribus, nec inualidum habent calorem. Ergo

Pueri grandiusculi magna ex parte tentantur tonsillarum inflammatione, vertebræ in occipitio introrsum luxatione, asthmate, &c.

APHOR. XXVII.

Τοῖσι δ' ἔτι πρεσβυτέροισι καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

Grandioribus autem & ad pubertatem accedentibus superiorum etiam morborum multi, & febres diuturniores, & ex naribus sanguinis fluxiones.

COMMENT.

Quicunque minùs sunt molles, minúsque augentur, ac propter minorem edacitatem non æquè

æquè copiosis crassísve humoribus abundant, valido præsertim calore probè concoquente & sanguinis copiam augente: illi præter multos morbos è iam dictis, ab edacitate & calore non inualido prodeuntes, quibus itidem laborant, patiuntur etiam in primis febres diuturniores, & sanguinis è naribus fluxiones.

Pueri grandiores, id est ad pubertatem accedentes, vel iam puberes, *ab anno scilicet vndecimo ad decimum octauum*, minùs sunt molles, minúsque augentur, ac propter minorem edacitatem, non æquè copiosis crassísve humoribus abundant, valido præsertim calore probè concoquente, & sanguinis copiam augente. Ergo

Pueri grandiores, id est ad pubertatem accedentes, vel iam puberes, præter multos morbos è iam dictis, ab edacitate & calore non inualido prodeuntes, quibus itidem laborant, patiuntur etiam in primis febres diuturniores, & sanguinis è naribus fluxiones

APHOR. XXVIII.

Τὰ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησὶ, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν· ὅσα δὲ ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θήλεσι

περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

Pueris plurimi morbi iudicantur, alij intra dies quadraginta, nonnulli intra septem menses, quidam intra annos septem, alij ipsis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui verò permanserint, neque pueris circa pubertatem, neque fœminis quum menstrua erumpunt, soluti fuerint, inueterascere consueuerunt.

COMMENT.

Diuturni puerorum morbi pro varia partium affectarum intemperie, peccantiumque humorum natura, quantitate & qualitate, varios habent solutionis terminos, quorum præcipuus est pubertas, quando scilicet pueri maturi fiunt & idonei ad sibi simile generandum: quòd si ea mutatione morbi nō soluantur, erunt tunc vel maximè diuturni vel insanabiles. Huc pertinēt aph 45.2. sect. & 7.5.

APHOR. XXIX.

Τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν αἵματος πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νοσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Adolescentibus sanguinis expuitiones, tabes, febres acutæ, epilepsiæ, aliique morbi, sed præcipuè nunc dicti.

COM-

Quicunque ſanguine aut bile abundant, violentis quibuſque vtuntur exercitiis, & in cæteris rebus non naturalibus ſunt valde intemperantes, illi ferè incidunt in ſanguinis profuſiones aut expuitiones, in tabes, febres acutas, epilepſias, *per conſenſum à ventriculo ob copiam bilis*, alióſque morbos, at præcipuè nunc dictos.

Adoleſcentes & iuuenes, *ab anno ſcilicet decimo octauo ad vigeſimum quintum, & ab hoc ad trigeſimum quintum*, ſanguine aut bile abundant, violentis quibuſque vtuntur exercitiis, & in rebus cæteris non naturalibus ſunt valdè intemperantes. Ergo

Adoleſcentes & iuuenes incidunt ferè in ſanguinis profuſiones aut expuitiones in tabes, febres acutas, epilepſias, alióſque morbos, at præcipuè nunc dictos.

Adoleſcentiam, vtpote humidiorem, morbi comitantur magis ſanguinei, iuuentutem, vt ſicciorem, magis biliosi.

APHOR. XXX.

Τοῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην ἄσθματα, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, ληθαργοὶ, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

Vltra hanc ætatem prouectis, aſthma-

ta, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alui profluuia, choleræ, dysenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides.

COMMENT.

Quicunque ob paulò minùs calidum sicciúsque temperamentum, ob validas exercitationes, deprauatámque victus rationem, bile abundant, melancholiâ, & cruditatibus: illi facilè incurrunt in asthmata, pleuritides, peripneumonias, lethargos, phrenitides, ardentes febres, diuturnas diarrhœas, choleras, dysenterias, lienterias, hæmorrhoidas, melancholias.

Aetate consistentes, *ab anno trigesimo quinto ad quadragesimum nonum*, ob paulò minùs calidum sicciúsque temperamentum, ob validas exercitationes, deprauatámque victus rationem, bile abundant, melancholia, & cruditatibus. Ergo

Ætate consistentes facilè incurrunt in asthmata, pleuritides, peripneumonias, lethargos, &c.

Consistentis ætatis maximè peculiares morbi sunt melancholici, biliosos enim cum iuuentute, pituitosos cum senectute communes habet.

APHOR. XXXI.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἀρθρων

ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ ὀφθαλμῶν καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, stranguriæ, dysuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum, & aurium humiditates, visus obtusior, glaucomata, auditus hebetior.

COMMENT.

Quicunque ob frigidum siccum temperamentum, facultatúmque & organorum omnium imbecillitatem, variis pituitæ speciebus abundant, illi ferè conflictantur spirandi difficultate, destillatione cum tussi, stranguria, dysuria, articulorum dolore, nephritide, vertigine, apoplexia, cachexia, pruritu totius corporis, vigiliis alui, oculorum & aurium humiditatibus, visu obtuso, glaucomate, auditu hebete.

Senes, *à quadragesimo nono anno ad postremum vitæ terminum*, ob frigidum siccum temperamentum, facultatúmque & organorum omnium imbecillitatem, variis pituitæ spe-

ciebus abundant. Ergo
Senes conflictantur ferè spirandi difficultate, destillatione cũ tussi, stranguria, dysuria, &c.

TERTIÆ SECTIONIS
FINIS.

PAVLI

PAVLI OFFREDI MEDICI,

IN QVARTAM HIPpocratis Aphorismorum sectionem,

Commentaria Aphoristica, ad methodum analyticam redacta.

Argumentum sectionis.

CVM *Hippocrates in* prima *sectione copiosè* differuerit *de purgatione communiter accepta, hîc de eadem multa speciatim edocet: mox circa prognostica signa versatur, ab omnibus*

symptomatum generibus, maximè verò à mutatis exeuntibus petita, non solùm in morbis generaliter consideratis, sed in febribus etiam, intestinorúmque, renum, & vesicæ affectibus.

APHOR. I.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν, ἧσσον δὲ ταύτας· τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρή.

Grauidas purgabis, si materia turgeat, à quarto mense vsque ad septimum, sed has minùs: in recentiore verò aut maturiore gestatione, purgantia vitabis.

COMMENT.

Absoluit hoc loco pluribus aphorismis de purgatione doctrinam, prima sectione generaliùs traditam: quia verò multa proponit varias peculiarésque purgationes indicantia, permittentia, prohibentia, vel adiuuantia, propterea primo hoc aphor. sumit initium ab exemplo eius purgationis, quæ maximis inuoluta est difficultatibus & periculis, eandem

dem ſententiam aphor. 29. ſect. 5. in alium finem repetiturus.

Quibuſcunque maximum ab errore vel minimo in purgatione periculum impendet, illi non niſi graui de cauſa & omnibus ad purgationem facientibus exactè perpenſis, purgari debent.

Mulieribus vtero gerentibus maximum ab errore vel minimo in purgatione periculũ impendet. Ergo

Mulieribus vtero gerentes non niſi graui de cauſa & omnibus ad purgationem facientibus exactè perpenſis, purgari debent.

Aphor. II.

Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα, χρήσιμα· τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα, παύειν.

In purgationibus talia è corpore educenda, qualia ſponte etiam prodeuntia iuuant: contrario verò modo exeuntia, ſiſtenda.

COMMENT.

Quæcunque ſalubriter à natura fiunt in ſpontaneis purgationibus, ſtudioſè debent ad artis vſum à medico reuocari.

Euacuatio prauorum tantùm humorum opportuno tempore, per idonea loca, & vtilium familiariúmque retentio, ſalùbriter à natura fiunt in ſpontaneis purgationibus. Ergo

Euacuatio prauorum tantùm humorum, opportuno tempore, per idonea loca, & vtilium familiariúmque retentio, studiosè debent ad artis vsum à medico reuocari.

Consulendi aphor. 2. & 21. primæ sect.

Aphor, III.

Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgentur, confert & facilè ferunt: sin contrà, difficulter.

COMMENT.

Huius aphorismi declaratio habetur aphor. 2 & vltimo primæ sect. In hac tamen disquisitione cuiusque vacuationis, artificiosæ, inquã, spontaneæ, criticæ, & symptomaticæ, necessariam adeò doctrinam repetere non abs re fuit.

Aphor. IV.

Φαρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω· χειμῶνος δὲ, τὰς κάτω.

Æstate supernè potiùs, hyeme infernè purgare conuenit.

COMMENT.

Omnis humor noxius ad regionem vacuationi aptam vergens, est per eam educendus.

Bilis æstate redundans est humor noxius, ad supernũ potiùs ventriculi os vergens, *vtpote à calido ambiente leuitatem ac tenuitatem maiorem adeptus*, pituita verò hyeme exuberans,

rans, ad infernum potiùs ventriculi os & intestina inclinat, *vtpote humor grauis & à frigido ambiente condensatus*, éstque regio vtraque vacuationi apta. Ergo

Bilis æstate redundans supernè potiùs, pituita verò hyeme exuberans infernè est educenda.

APHOR. V.

Ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

Sub cane & ante canem difficiles sunt purgationes.

COMMENT.

Quotiescũque corpora æstuant ac debilia sunt, humorésque in eis ad circumferentiam euocantur, tunc purgationes, præsertim per valida pharmaca non parum calefacientia siccantiáque, sunt difficiles.

Sub cane & ante canem æstuant corpora, & debilia sunt, humorésque in eis ad circumferentiam euocantur. Ergo

Sub cane & ante canem purgationes, præsertim per valida pharmaca non parùm calefacientia siccantiáque, sunt difficiles.

APHOR. VI.

Τοὺς ἰσχνοὺς καὶ εὐημέας ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

Graciles & ad vomendum faciles per superna purgare, vitando hyemem.

COMMENT.

Quicunque tenui humore abundant ad superiora vergente, supernè purgari debent, modò hyems, *sui frigiditate humorem crassefaciendo, ductúsque angustando*, non prohibeat.

Graciles natura & ad vomendum faciles, tenui humore abundant ad superiora vergente.

Ergo

Graciles naturâ & ad vomendum faciles supernè purgari debent modò hyems non prohibeat.

Aphor. VII.

Τοὺς δὲ δυσημέας καὶ μέσως σάρκους κάτω, ὑποστελλομένους θέρος.

Ægrè vomentes & modicè carnosos per inferna, vitando æstatem.

COMMENT.

Quicunque crasso humore abundant inclinante ad inferiora, purgari debent infernè, modò æstas, *sui calore bilem augendo, eíque motum sursum indendo*, non prohibeat.

Ægrè vomentes & modicè carnosi, siue pituitosi fuerint, siue melancholici, crasso humore abundant inclinante ad inferiora. Ergo

Ægrè vomentes & modicè carnosi, siue pituitosi fuerint, siue melancholici; purgari debent infernè, modò æstas non prohibeat.

Hac de causa ægrè vomentes, si fuerint cacochymi, præcautionis ergò vere per aluum purgandi veniunt.

Aphor.

APHOR. VIII.

Τοὺς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω.

Obnoxios phthiſi ſuprà ne purgato.

COMMENT.

Quibuſcunque magnum ex vomitu periculum impendet, illi non debent ſupernè purgari.

Tabidis, vel ad tabem paratis, *vt ſunt alatos humeros, oblongum collum, & anguſtum pectus habentes*, magnum ex vomitu periculum impendet. Ergo

Tabidi, vel ad tabem parati non debent ſupernè purgari.

Minor probatur: periculum eſt enim ne in tam violento motu aut pulmonis vlcus augeatur, aut vas aliquod diſrumpatur.

APHOR. IX.

Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἀδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τ' ἐναντία προστιθείς.

Melancholicos infrà vehemẽtiùs purgabis, eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam.

COMMENT.

Quicunque humore craſſo, terreſtri, ad inferiora vergente, & ad motum pigro abundant, illi valido medicamento deiectorio ſunt purgandi.

Melancholici humore craſſo, terreſtri, ad infe-

riora vergente, & ad motum pigro abundant. Ergo

Melancholici valido medicamento deiectorio sunt purgandi.

Eodem innixi dogmate, pro ratione humorum ad contraria loca vergentium, contrariam purgandi viam inibimus. Consulendus aphor. 21. primæ sect.

APHOR. X.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερόν· χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν.

Purgandum in valde acutis, si materia turgeat, eadem die: differre enim in talibus malum.

COMMENT.

Quæcunque materia noxia magnum præcépsque aliquod malum minitatur, subitò est euacuanda.

Materia in valde acutis morbis turgens *hoc est incerto impetu concitata*, magnum præcépsque aliquod malum minitatur. Ergo

Materia in valde acutis morbis turgens subitò est euacuanda.

Huc facit aphor. 22. primæ sect.

APHOR. XI.

Ὁκόσοισι στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε

μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτ' ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Quibus tormina a sunt, & circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluatur, in siccum hydropa firmatur.

COMMENT.

Quæcunque præsentiam arguunt essentialium causarum tympanitidis, proprium effectum promouentium, illa tympanitidem portendunt.

Tormina intestinorum, & circa vmbilicū cruciatus, ac lumborum dolor, citra caliditatem, qui neque medicamento, neque aliter soluatur, præsentiam arguunt causarum essentialium tympanitidis, proprium effectum promouentium. Ergo

Tormina intestinorum, & circa vmbilicum cruciatus, ac lumborum dolor, citra caliditatem, qui neque medicamento, neque aliter soluatur, tympanitidem portendunt.

Minor hinc patet, quòd illa symptomata cōtumacissima, non solùm copiosos flatus abdomen quoquouersum distendentes, sed naturalium etiam viscerum præcipuorum frigidam intemperiem obfirmatam denotant.

APHOR. XII.

Ὁκόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

Quorum alui lienteria laborant, hyeme ſuprà purgare, malum.

COMMENT.

Omnis immoderata vacuatio per inferiora, quam natura facit ab acri humore irritata, corrigenda venit reuulſoria humoris irritantis euacuatione supernè facta, modò frigus hyemale non prohibeat.

Lienteria à bile, eſt immoderata euacuatio per inferiora, quam natura facit ab acri humore irritata. Ergo

Lienteria à bile corrigenda venit reuulſoria bilis irritantis euacuatione ſupernè facta, modò frigus hyemale non prohibeat.

Huc pertinet aphor. 6. huius ſect.

APHOR. XIII.

Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει.

Qui ad elleborum non facilè ſuprà purgantur, eorum corpora antè potionem copioſiore alimento, & quiete prehumectanda.

COMMENT.

Nullum validum vomitorium, quod ſolet copioſè vacuando, ſtrenuè ſiccando, vel acriter mordendo, conuulſionem facere, propinari debet ad vomitum difficilibus, niſi eorum

rum corpora ante potionem copiosiore cibo & quiete fuerint præhumectata.

Elleborus albus est validum vomitorium, quod solet copiosè vacuando, strenuè siccando, vel acriter mordendo, conuulsionem facere.

Ergo

Elleborus albus non debet propinari ad vomitum difficilibus, nisi eorum corpora ante potionẽ copiosiore cibo & quiete fuerint præhumectata.

Ita enim remedio per se & per accidens siccanti meliùs resistent, exitúmque humoribus euacuandis concedent liberiorem.

APHOR. XIV.

Επὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας, ἧσσον· δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Poto elleboro, corpus mouendum potiùs, quàm somno tradendum aut quieti. Indicat autem nauigatio motione turbari corpora.

COMMENT.

Quæcunque albi ellebori congruentem operationem per vomitum iuuant, illa debent à medico suaderi: & quæ hanc impediunt aut retardant, dissuaderi.

Vigilia & motus corporis aliquanto post exhi-

bitum album elleborum, congruentem eius operationem per vomitum iuuant: somnus verò & quies eam impediunt aut retardant.

Ergo

Vigilia & motus corporis, aliquanto post exhibitum album elleborum, debent à medico suaderi: somnus verò & quies dissuaderi.

Maior patet: quoniam albus elleborus, si diu maneat in ventriculo, multa symptomata praua solet excitare.

Minor quoque est nota, eo quòd humores agitatione corporis commoti, promptiùs ad ventriculum confluunt & expelluntur, quàm per somnum & quietem. Id cõfirmatur exéplo nauigãtium, qui maxima illa motione, præsertim sursum deorsum, turbati, coguntur euomere.

Aphor. XV.

Ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα· ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.

Cùm elleborum magis ducere volueris, moue corpus: cùm verò sistere, somnum concilia, nec moue.

COMMENT.

Quæcunque purgatio manca est, aut superabundans, præter alia auxilia, vel motu corporis est adiuuanda, vel quiete & somno sistenda.

Ellebori purgatio aliquando manca est, aut superabundans. Ergo

Ellebori

Ellebori purgatio est aliquando, præter alia auxilia, vel motu corporis adiuuanda, vel quiete & somno sistenda.

APHOR. XVI.

Ἐλλέβορος ἐπικινδύνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι. σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Elleborus sanas carnes habentibus, periculosus: conuulsionem enim facit.

COMMENT.

Quæcunque corpora à causa valde calefaciente, siccante, & mordente, carnis colliquationem, & oris ventriculi morsum patiuntur, illa conuulsionis ac mortis periculum subeunt.

Sana corpora, post assumptũ elleborum, à causa valde calefaciente, siccante, & mordente, carnis colliquationem, & oris ventriculi morsum patiuntur. Ergo

Sana corpora, post assumptum elleborum, conuulsionis ac mortis periculum subeunt.

Huc pertinet aphor. 37. sect. 2. & ab eo elici potest consecutio à minori ad maius.

APHOR. XVII.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι ἀποσιτίη, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Non febricitanti cibi fastidium, cordis morsus, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo, purgatione per superna opus esse significant.

COMMENT.

Quotiescunque signa adsunt bilis copiosæ in vẽtriculo fluctuãtis & sursum vergentis, tunc purgatione est opus per vomitum. *ex aphor. 6. huius sect.*

Quotiescunque non febricitans laborat cibi fastidio, cardiogmo, vertigine tenebricosa, & oris amorore, signa adsunt bilis copiosæ in ventriculo fluctuantis & sursum vergentis.

Ergo

Quotiescunque non febricitans laborat cibi fastidio, cardiogmo, vertigine tenebricosa, & oris amarore, purgatione est opus per vomitum.

APHOR. XVIII.

Τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσεως δέονται, ἄνω φαρμακεύεσθαι σημαίνει· ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

Supra septum transuersum dolores, quicunque egent purgatione, per superna purgandum esse significant: qui verò infrà sunt, per inferna.

COMMENT.

Quæcunque minera purgatione indigens, ad ventriculi os supernum inclinat, per vomitum: quę verò inferiùs vergit, per aluum purgari debet.

Quiuis humor supra septum transuersum dolorem generans, supernum scilicet os ventriculi mordicans, caput vaporibus replens, & in eo

in eo dolorem aliáque symptomata excitans, minera est quæ purgatione indigens, ad ventriculi os supernum inclinat: humor verò infra diaphragma, id est in intestinis vel partibus proximis dolorem faciens, inferiùs vergit. Ergo

Quiuis humor supra septum transuersum dolorem generans, supernum scilicet os ventriculi mordicans, &c. per vomitum: hùmor verò infra diaphragma, id est in intestinis vel partibus prox imis, dolorem faciens, per aluum purgari debet.

APHOR. XIX.

Οκόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται, πρὶν ἢ διψήσωσιν.

Qui dum pharmacis purgantur non sitiunt, purgationis finem non attingunt, priùs quàm sitiuerint.

COMMENT.

Quicquid de vtili & naturali ventriculi humiditate nonnihil detrahit, sitim inducit.

Omne pharmacum cacochymiam radicitus tollens, & purgationem complens, nonnihil de vtili & naturali ventriculi humiditate detrahit. Ergo

Omne pharmacum cacochymiã radicitus tollens; & purgationem complens, sitim inducit.

Minor probatur: pharmacum enim cacochy-

miam nequit radicitus tollere, nisi vel remotissimos etiam humores noxios à minimis venis attrahat:atqui fieri non poteſt humorum attractio sufficiẽs à tam remotis partibus,quin multò validiùs attrahantur & absumantur humores proximi in ventriculo contenti: vnde cùm à proximo & contiguo pharmaco in ventriculum agente, præsertim validiore, ceu purgationem complente, absumatur aliquid de naturali & vtili ventriculi humiditate, necessariò fit vt qui nondum purgati non sitiebant, iidem perfectè purgati sitiant.

Aphor. XX.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίνηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Non febricitantibus si tormina adsint, & genuum grauitas, & lumborum dolor: inferna purgatione opus esse significant.

COMMENT.

Quotiescunque signa adsunt frigidi & crassi humoris valde noxij, deorsum vergentis, inferna purgatione est opus, quæ calidioribus fit remediis humori peccanti proportionatis.

Vbi vigent ventris tormina, genuum grauitas, & lumborum dolor sine febre, tunc signa adsunt frigidi & crassi humoris valde noxij, deorsum vergentis. Ergo

Vbi vigent ventris tormina, genuum grauitas, & lum-

& lumborum dolor fine febre, inferna purgatione eſt opus, quæ calidioribus fit remediis humori peccanti proportionatis.

APHOR. XXI.

Ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτου ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον· ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον· καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείω χρώματα, οὐ πονηρά.

Deiectiones nigræ ſanguini atro ſimiles, ſponte euntes, ſiue cum febre, ſiue citra febrem, peſſimæ: & quanto ipſarum colores deteriores fuerint plures, eò peiùs: à medicamento autem talia educi, meliùs, idque quanto ipſarum plures fuerint colores.

COMMENT.

Quæcunque arguunt magnam adeò prauorum humorum copiam, vt natura illis gubernandis non ſufficiat, mala ſunt ſigna, & quò plures ſignificantur eiuſmodi humores, eò peiùs: contrà quò natura regendis eiſdem validior denotatur, eò meliùs.

Nigra excrementa ſponte ac diu prodeuntia, arguunt magnam adeò prauorum humorum copiam, vt natura illis gubernandis non ſufficiat, & quò plures fuerint excretorum colores, eò plures ſignificantur eiuſmodi humores: contra eadem excrementa nigra a pharmaco educta, quò plura fuerint, eò natura regendis eiſdem humoribus validior denotatur, *vtpote quæ ſymptomaticum omnem praua materia motum prohibuerit.*

Ergo

Nigra excrementa ſponte ac diu prodeuntia, mala ſunt ſigna, & quò plures fuerint eorum colores, eò peiùs: contrà eadem à pharmaco educta, quò plura fuerint, eò meliùs.

Aphor. XXII.

Νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων, ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον.

Morbis quibuſlibet incipientibus, ſi atra bilis ſuprà infráve exierit, lethale.

COMMENT.

Quicquid ſignificat humorem omnium peſſimum intus abundare, eíque coquendo ac edomando naturam eſſe imparem, ſignum eſt perniciosum.

Atra

Atra bilis,incipiente quouis morbo, ſponte ſuprà infráve exiens, humorem ſignificat omnium peſſimum intus abundare, eique cōquendo ac edomando naturam eſſe imparem. Ergo

Atra bilis,incipiente quouis morbo, ſponte ſuprà infráve exiens, ſignum eſt pernicioſum.

APHOR. XXIII.

Ὁκόσοισιν ἐκ νουσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πως λεπτυνομένοισι χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis, atra bilis, aut velut ſanguis niger ſubierit, poſtridie moriuntur.

COMMENT.

Quotieſcunque in magna virium imbecillitate peſſimi humores abundant, & ſymptomaticè mouentur, mors eſt pro foribus.

Quum per morbos acutos vel diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis, atra bilis,aut velut ſanguis niger ſuprà infráve exierit, tunc in magna virium imbecillitate peſſimi humores abundant, & ſymptomaticè mouentur. Ergo

Quum per morbos acutos vel diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis, atra

bilis, aut veluti sanguis niger suprà infráve exierit, mors est pro foribus

APHOR. XXIV.

Δυσεντερίη ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Dysenteria si ab atra bile incipiat, exitiosa.

COMMENT.

Omne cancrosum vlcus, *cùm vel in externa corporis parte rarò curationem admittat*, in intestinis existens, est morbus exitialis.

Dysenteria quæ ab atra bile incepit, est cancrosum vlcus in intestinis existens. Ergo

Dysenteria quæ ab atra bile incepit, est morbus exitialis.

APHOR. XXV.

Αἷμα ἄνω μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν· κάτω δὲ, ἀγαθὸν, μέλαν ὑποχωρέον.

Sanguinem supernè quidem egredi, qualiscunque sit, malum: infernè verò niger si deiiciatur, bonum.

COMMENT.

Omnis excretio quæ fit per locum indecentem, est mala: ea verò qua humor noxius per locum decentem pellitur, bona.

Sanguinis cuiuscunque reiectio per os, est excretio quæ fit per locum indecentem: nigri autem sanguinis euacuatio spontanea per sedem, id est, per hæmorrhoidas, excretio est

qua

qua humor noxius per locum decentem pellitur. Ergo

Sanguinis cuiuſcunque reiectio per os, eſt mala: nigri autem ſanguinis euacuatio per ſedem, id eſt, per hæmorrhoidas, bona, *melancholicis præſertim & nephriticis, ut habetur aphor. 11. ſect. 6.*

APHOR. XXVI.

Ἢν ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὁκοῖαι αἱ σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

Si dyſenteria detento veluti caruncu-læ deiiciantur, mortiferum.

COMMENT.

Quicquid arguit inteſtinorum vlcus profundum, eſt perniciofum indicium.

Deiectio veluti caruncularum in dyſenteria, vlcus inteſtinorum profundum arguit. Ergo

Deiectio veluti caruncularum in dyſenteria, perniciofum eſt indicium.

APHOR. XXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν αἱμοῤῥαγέει πλῆθος ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quibus per febres ſanguinis vndecunque eruperit copia, conualeſcentibus ventres humectantur.

COMMENT.

Quicquid natiuum calorem minuendo, in causa est vt aliquanto pòst immodica fiat ciborum appetentia, & ob læsam ventriculi concoctionem cruditates abundent, illud eo tẽpore aluum reddit humectam.

Sanguinis copia per febres vndecunque profusa, natiuum calorem minuendo, in causa est vt aliquãto pòst, *conualescentia nimirùm tempore*, immodica fiat ciborum appetentia, & ob læsam ventriculi concoctionem cruditates abundent. Ergo

Sanguinis copia per febres vndecunque profusa aluum reddit humectam, *conualescentibus præsertim plus cibi quàm par sit ingerentibus.*

APHOR. XXVIII.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος γινομένης παύεται, καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων γινομένων παύεται.

Quibus deiectiones sunt biliosæ, superueniente surditate cessant: & quibus surditas adest, biliosorum deiectione finitur.

COMMENT.

Omnis humor noxius ad infernas supernásque partes successiuè transferri solitus, eò quòd pari mobilitate cedat naturæ sursum vel deorsum propellenti, varia sæpe in dictis partibus excitat symptomata, sibi mutuò succedentia,

dentia, adeò vt vno adueniente alterum cesset.

Bilis peccans est humor noxius, ad infernas supernásque partes successiuè trãsferri solitus, eò quòd pari mobilitate cedat naturæ sursum vel deorsum propellenti. Ergo

Bilis peccans varia sæpe in dictis partibus excitat symptomata, *vt ophthalmiam, aut surditatem, & crurum erysipelata, biliosásve deiectiones*, sibi mutuò succedentia, adeò vt vno adniente alterum cesset.

Hinc apparet quantum possit reuulsio.

APHOR. XXIX.

Ὁκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, crisim habent difficilem.

COMMENT.

Omnis crisis perfecta ac tuta, fit die decretorio.

Nulla crisis cum rigore in febribus biliosis eueniens die sexto, fit die decretorio. Ergo

Nulla crisis cum rigore in febribus biliosis eueniens die sexto, est perfecta ac tuta: *vtpote qua ægrotum vel ad mortem iudicat, vel ad vitam, sed cum prauis accidentibus, aut cum periculo recidiua.*

APHOR. XXX.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, τὴν αὐτὴν ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν

αὐτὴν ὥρην τῇ λάβῃ, δύσκριτα.

Quibus accessiones fiunt, si febris eâdem horâ postero die repetat, quacunque hora dimiserit, crisim habent difficilem.

COMMENT.

Quicquid firmatam arguit stabilémque materiam à qua febris oritur, illud febrem designat fore longam, & solutu difficilem.

Inuasio febris intermittentis eâdem semper horâ perseuerans, siue horam cessatio retineat, siue mutet, firmatam arguit stabilémque materiam à qua febris oritur. Ergo

Inuasio febris intermittentis eâdem semper horâ perseuerans, siue horam cessatio retineat, siue mutet, febrem designat fore longam, & solutu difficilem.

APHOR. XXXI.

Τοῖσι κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἐς ἄρθρα καὶ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Qui per febres lassitudinem sentiũt, iis ad articulos & iuxta maxillas potissimùm abscessus fiunt.

COMMENT.

Quicquid in febricitantibus materiam denotat à calore febrili attenuatam & sursum euectam in musculos & articulos defluere, illud arguit ad articulos potissimùm, & circa maxillas

xillas

xillas abscessus fieri, *eodem scilicet calore via laxante.*

Lassitudines maiores quàm pro febris ratione, materiam denotant à calore febrili attenuatam & sursum euectam, in musculos & articulos defluere. Ergo

Lassitudines maiores quàm pro febris ratione, arguunt ad articulos potissimùm,& circa maxillas abscessus fieri.

Cerebri expultrix ab humore irritata, illum in subiectas partes sibi proximas, & præsertim laxiores, solet detrudere.

APHOR. XXXII.

Ὁκόσοισι δὲ ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νούσων τι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Quibus ex morbo conualescentibus, pars aliqua laborat, ibi abscessus fiunt.

COMMENT.

Quicquid post imperfectam purgationem vel crisim, morbi reliquias designat in partem aliquam debilem à validioribus propulsari, illud abscessum ea in parte fieri denotat.

Labor vel dolor alicuius partis in conualescentibus perseuerans, post imperfectam purgationem vel crisim, designat morbi reliquias in eam partem debilem à validioribus propulsari. Ergo

Labor vel dolor alicuius partis in conuale-

ſcentibus perſeuerans, abſceſſum ea in parte fieri denotat.

APHOR. XXXIII.

Ατὰρ ἢν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα ςηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed ſi qua ante morbum pars laborauerit, ibi morbi ſedes.

COMMENT.

Quicquid partem aliquam ſignificat maximè eſſe opportunam ſuſcipiendæ materiæ morbificæ, vel concipiendo morbo, illud indicium eſt præcipuæ ſedis morbi.

Labor vel dolor alicuius partis ante morbum, ſignificat partem illam maximè eſſe opportunam ſuſcipiendæ materiæ morbificæ, ſeu concipiendo morbo. Ergo

Labor vel dolor alicuius partis ante morbum, indicium eſt præcipuæ ſedis morbi.

Non quòd morbus nequeat cæteras partes inuadere, ſed quia pars iam dolens maiorem noxam ſubit.

APHOR. XXXIV.

Ην ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγίγνηται, θανάσιμον.

Si febre detento ſuffocatio derepentè ſuperuenerit, nullo in faucibus apparente tumore, eſt mortiferum.

COM-

COMMENT.

Quotiescunque in maxima spirandi necessitate, laryngis meatus ob inflammationem musculorum gutturis internorum planè angustatur, est mortiferum.

Quoties in febre vehementi suffocatio repentè superuenit absque manifesta causa, nullóque in faucibus apparente tumore, tunc in maxima spirandi necessitate, laryngis meatus ob inflammationem musculorum gutturis internorum planè angustatur. Ergo

Quoties in febre vehementi suffocatio repentè superuenit absque manifesta causa, nullóque in faucibus apparente tumore, est mortiferum.

Hic cynanche, species nimirùm anginæ periculosissima, describitur.

APHOR. XXXV.

Ην ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

Si febre detento repentè collum intorqueatur, & vix deglutire queat, nullo existente tumore, mortiferum.

COMMENT.

Quæcunque musculos ad gulam attinentes, præ siccitate nimia contractos, propriáque functione fermè spoliatos esse denotant, signa sunt lethalia.

Colli intorſio in febre vehementi, ob luxatam ceruicis vertebram, & hinc impedita deglutitio, nullo exiſtente in vicinis partibus tumore aut dolore, muſculos ad gulam attinentes, præ nimia ſiccitate contractos propriáque functione fermè ſpoliatos eſſe denotant. Ergo

Colli intorſio in febre vehementi, ob luxatam ceruicis vertebram, & hinc impedita deglutitio, nullo exiſtente in vicinis partibus tumore vel dolore, ſigna ſunt lethalia.

Hæc item anginę ſpecies, licèt ad ſynanchen referatur, maximè eſt exitialis, cùm præſertim ad gulæ compreſſionem à vertebra luxata, comprimatur etiam trachea, & reſpiratio vehementer lædatur.

Aphor. XXXVI.

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μιῇ καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν· οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ὑποτροπιασμόν.

Sudores febricitantibus boni qui

manare

manare cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimo quarto, decimo septimo, vicesimo primo, vicesimo septimo, tricesimo primo, & tricesimo quarto: ij enim sudores morbos iudicant. Qui secus euenerint, laborem & morbi longitudinem, aut eiusdem reditum significant.

COMMENT.

Febres acutæ biliosæ, quæ diebus imparibus mouentur, eisdem etiam aut sudore, aut alia quapiam euacuatione tutò finiuntur; quanquam 14. dies & 34. non minùs tutam earundem febrium solutionem afferunt: ob bilis enim crassitiem, aut languidiusculam facultatem, præcedentis diei iudicationem in se transferunt: vel contrà ob magnam bilis tenuitatem, aut facultatis robur, diei subsequentis crisim ad se rapiunt: adde criticum melancholicę materiæ subpeccantis motum, illis diebus sæpissimè contingentem.

Huc pertinet aphor. 24 sect. 2. & tex. 56 lib. 4. de rat. victus in acutis.

APHOR. XXXVII.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον. ξὺν πρηϋτέρῳ, μῆκος νούσου σημαίνουσι.

Frigidi sudores cum febre quidem acuta, mortem, cum mitiore verò morbi longitudinem significant.

COMMENT.

Quæcunque in morbo grauissimo & breuissimo, solidorum calorem ab extraneo resolutum ac ferè extinctum denotant, vel humorem peccantem planè incoctilem, illa mortem portendunt: quæ verò in minùs graui & longiore morbo, humorem ostendunt longo morbi decursu coquendum, longitudinem eius significant.

Frigidi sudores cum febre acuta, in morbo grauissimo & breuissimo solidorum calorem ab extraneo resolutum ac ferè extinctum denotant, vel humorem peccantem planè incoctilem: iidem verò sudores cum febre mitiore, in minùs graui & longiore morbo humorem ostendunt longo morbi decursu coquẽdum.

Ergo

Frigidi sudores cum febre acuta, mortem portendunt: iidem verò cum febre mitiore, morbi longitudinem significant.

APHOR. XXXVIII.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρῶς, ἐνταῦθα φράζει τὴν νοῦσον.

Qua corporis parte sudor, ibi morbus.

COMMENT.

Quicquid morbi causam seu materiam designat esse in toto, vel in certa parte, illud morbi sedem ostendit, ad quam debent remedia dirigi: *morbus enim non nisi ablatione sua causa remouetur.*

Sudor

Sudor multus à toto vel à parte manans, morbi causam seu materiam designat esse in toto, vel in certa parte. Ergo

Sudor multus à toto vel à parte manans, morbi sedem ostendit, ad quam debent remedia dirigi, *totum scilicet vel partem vacuantia.*

APHOR. XXXIX.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος θερμὸν ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.

Et qua parte corporis inest calor aut frigus, ibi morbus.

COMMENT.

Quicquid magnum partis vel totius recessum denotat à naturali statu, illud morbum significat vel particularem, vel toti communem.

Calor aut frigus in parte vel in toto permanés, & actionem lędens, magnum partis vel totius recessum denotat à naturali statu. Ergo

Calor aut frigus in parte vel in toto permanés, & actionem lædens, morbum significat vel particularem, vel toti communem.

APHOR. XL.

Καὶ ὅκου ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μῆκος νούσου σημαίνει.

Et quando toto corpore mutationes accidunt, vt si corpus refrigeretur & vi-

cissim calefiat, vel color alius ex alio oriatur, longitudinem morbi significant.

COMMENT.

Quæcunque ostendunt plures variásque, aut etiam contrarias causas præter naturam intus latere morbum fore longum significant, quũ robustæ fuerint vires, quum lethalem, debiles.

Mutationes toti corpori aduenientes, vt dum corpus refrigeratur & vicissim calefit, aut color alius ex alio oritur, ostendunt plures variásque, aut etiam contrarias causas præter naturam intus latere. Ergo

Mutationes toti corpori aduenientes, vt dum corpus refrigeratur & vicissim calefit, aut color alius ex alio oritur, morbum fore longum significant, quum robustæ fuerint vires, quum lethalem, si debiles.

APHOR. XLI.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ φανερῆς αἰτίης γινόμενος τῷ σώματι, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Sudor multus per somnum factus, absque causa manifesta, copiosiore cibo corpus vti significat: si verò cibum non sumenti hoc accidat, vacuatione indigere sciendum est.

COM-

COMMENT.

Quicquid ſuperuacaneam arguit humiditatem ex quotidiano alimento copioſiore, aut ex dudum collecta humorum abundantia progenitam, illud vel parce alendum, vel euacuandum eſſe corpus denotat.

Sudor multus in poſtrema ſomni parte ſæpius manans, nulla externa cauſa concurrente, ſuperuacaneam arguit humiditatem ex quotidiano alimento copioſiore, aut ex dudum collecta humorum abundantia progenitam.

Ergo

Sudor multus in poſtrema ſomni parte ſæpius manans, nulla externa cauſa concurrente, vel parce alẽdum, vel euacuandum eſſe corpus denotat.

Spiritus & humores initio ſomni intrò, ſub finem verò extrà mouentur, quo tempore ſudor multis accidit.

APHOR. XLII.

Ἱδρὼς πολὺς ψυχρὸς ἢ θερμὸς αἰεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει.

Sudor multus, frigidus calidúſve, ſemper fluens, frigidus grauiorem, calidus minorem morbum ſignificat.

COMMENT.

Quicquid in continentibus & contentis maiorem minorémve receſſum arguit à naturali

ſtatu, illud maiorem minorémve morbum denunciat.

Sudor multus, ſemper fluens in morbis non acutis, frigidus quidem maiorem, calidus verò minorem in continentibus & contentis receſſum arguit à naturali ſtatu. Ergo

Sudor multus, ſemper fluens, in morbis non acutis, frigidus quidem maiorem, calidus verò minorem morbum denunciat.

Frigidi ſudores in acutis febribus ſunt lethales, ex aphor. 37. huius ſect.

APHOR. XLIII.

Οἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπουσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres non intermittentes, quæ tertia quaque die exacerbantur, periculoſiores: quoquomodo autem intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur.

COMMENT.

Omnis febris, prout à maiore vel minore putredine, & viſcerum noxa ortum ducit, ita periculoſa eſt, aut periculo vacat.

Omnis febris non intermittens, & per conſequens bilioſa continua, à maiore fit putredine & viſcerum noxa: intermittens verò à minore. Ergo

Omnis febris non intermittens, & per conſequens

quens biliosa continua, periculosa est: intermittens verò, *quà talis*, periculo vacat.

APHOR. XLIV.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

Quibus febres longæ, iis tubercula ad articulos aut labores fiunt.

COMMENT.

Omnes morbi qui à crassis frigidísque humoribus oriundi, per materiæ decubitum finiuntur, plerumque per dolores & abscessus ad articulos debiliores, quandoque etiam per tumores ad aures vel cutim, si robusti fuerint articuli, soluuntur.

Multæ febres longæ, sunt morbi qui à crassis frigidísque humoribus oriundi, per materiæ decubitum finiuntur. Ergo

Multæ febres longæ, plerumque per dolores & abscessus ad articulos ob febrim debiliores, quandoque etiam per tumores ad aures vel cutim, si robusti fuerint articuli, soluuntur.

APHOR. XLV.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula ad articulos, vel labores post febres fiunt, ij cibariis pluribus vtuntur.

COMMENT.

Quæcunque corpora humoris noxij expertia, tuberculis ad articulos aut laboribus corripiuntur, coniectare oportet nimio vti alimento.

Conualeſcentium multorum corpora, poſt febres perfectè curatas vel ſolutas, humoris noxij expertia, tuberculis ad articulos aut laboribus corripiuntur. Ergo

Conualeſcentium multorum corpora coniectare oportet nimio vti alimento.

APHOR. XLVI.

Ην ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.

Si rigor febre non intermittente ægrum iam debilem inuadat, mortiferum eſt.

COMMENT.

Omne ſymptoma quod corpus totum quatiendo, materiam noxiam demonſtrat valde copioſam, & vires illi ſuperandæ impares, indicium eſt mortiferum.

Rigor ſæpius ægrum iam debilem inuadens in febre continua, neque vllam euacuationem effatu dignam promouens, ſymptoma eſt quod corpus totum quatiendo, materiam noxiam demonſtrat valde copioſam, & vires illi ſuperandæ impares. Ergo

Rigor ſæpius ægrum iam debilem inuadens in febre continua, neque vllam euacuationem effatu

effatu dignam promouens, indicium est mortiferum.

Quod hîc habetur magis conspicuum euadit ex aph.58. huius sect.

APHOR. XLVII.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί. ἀποχωρεῦσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί· καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας, καὶ κατὰ τὰ οὖρα. ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ: commodè tamen si prodeant, bonę. Eadem est deiectionum & vrinarum ratio: si quid verò quod non iuuet, per hæc loca excernatur, malum.

COMMENT.

Quæcunque signa validam satis naturam demonstrant, ad superandas causas morbificas, prauis licèt ac malignis qualitatibus præditas, illa bonum: quæ verò naturam declarant inualidam, & maligno morbo superando imparem, malum exitum denunciant.

Excreationes quæ in febribus continuis aliquando apparent liuidæ, cruentæ, fœtidæ, bi-

liosæ, item deiectiones & vrinæ prauæ, præcedentibus coctionis signis excretæ; cum ægri iuuamento facilíque tolerantia, signa sunt quæ naturam demonstrant satis validam ad superandas causas morbificas, licèt prauis & malignis qualitatibus præditas: cõtrà verò eadem praua excrementa, absque coctionis notis prodeuntia, sine ægri iuuamento, & cum difficili eius tolerantia, naturam inualidam, superandóque maligno morbo imparem declarant. Ergo

Excreationes quæ in continuis febribus aliquando apparent liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, deiectiones item & vrinæ prauæ, coctionis signis præcedentibus excretæ, cum ægri iuuamento facilíque tolerantia, bonum: contrà verò eadem praua excrementa, absque coctionis notis prodeuntia, sine ægri iuuamento, & cum difficili eius tolerantia, malum exitum denunciant.

APHOR. XLVIII.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus si partes externæ algent, internæ vruntur, & sitiunt, lethale est.

COMMENT.

Quicquid arguit præcipua viscera morbi malignitate conflictari, & vires eorum prosterni, signum est lethale.

Algor

Algor externarum partium in febribus continuis, cum ardore internarum, & siti maxima, arguit præcipua viscera morbi malignitate conflictari, eorúmque vires prosterni. Ergo

Algor externarum partium in febribus continuis, cum ardore internarum, & siti maxima, signum est lethale.

Hic aphor. cum primo conuenit sect. 7.

APHOR. XLIX.

Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅ, τι ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

In febre non intermittente si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertitur, si non videt, non audit, imbecillo iam corpore, quicquid horum acciderit, in propinquo mors.

COMMENT.

Quicquid in morbo vehementi maximam virium prostrationem significat, illud mortem propinquam arguit.

Labri, aut palpebræ, aut supercilij, aut oculi, aut nasi peruersio in febre continua, ægro iam adeò debili vt non videat, nec audiat, maximam virium prostrationem significat.

Ergo

Labri, aut palpebræ, aut supercilij aut oculi,

aut nasi peruersio in febre continua, ægro iam adeò debili vt non videat, nec audiat, mortem propinquam arguit.

APHOR. L.

Ὅκου ἂν ἐν τοῖς πυρετοῖς μὴ διαλείπουσι δύσπνοια γένηται καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit, lethale.

COMMENT.

Quæcunque morbo periculoso superuenientia, calidam cerebri intemperiem cum inflammatione meningum, vel diaphragmatis inflammationem denotant, illa mortem minantur.

Spirandi difficultas, & delirium in febre continua, morbo periculoso superuenientia, calidam cerebri intemperiem cum inflammatione meningum, vel diaphragmatis inflammationem denotant. Ergo

Spirandi difficultas, & delirium in febre continua mortem minantur.

APHOR. L I.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νούσου σημαίνει.

In febribus abscessus primis crisibus mor-

bum non ſoluentes, eius longitudinem ſignificant.

COMMENT.

Quæcunque copioſam, craſſam, vel impenſè frigidam morbi materiam, aut facultatem debilem, horúmve plura ſignificant, illa morbi longitudinem deſignant.

Abſceſſus primis criſibus febrem non ſoluentes, morbi materiam copioſam, craſſam, vel impensè frigidam, aut facultatem debilem, horúmve plura ſignificant. Ergo

Abſceſſus primis criſibus febrem non ſoluentes, morbi longitudinem deſignant.

APHOR. LII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀρρωςίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον. ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἄτοπον.

Qui in febribus aut aliis morbis voluntariè illacrymant, nihil abſurdum: qui verò præter voluntatem, abſurdum.

COMMENT.

Quæcunque calorem in cerebro velut colliquantem, eiúſque viſceris retentricem valde infirmam produnt, maſuntli ominis.

Lacrymæ inuoluntariæ non ab externa cauſa, vllóve oculorum affectu, ſed à ſola morborum acutorum vehementia profectæ, calorem in cerebro velut colliquantem, eiúſque

visceris retentricem valde infirmam producunt. Ergo

Lacrymæ inuoluntariæ, non ab externa causa, vllóve oculorum affectu, sed à sola morborum acutorum vehementia profectæ, sunt mali ominis.

APHOR. LIII.

Ὀκόσοισι ἢ ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περίγλισχρα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί.

Quibus per febres circa dentes lentor quidam obnascitur, iis vehementiores sunt febres.

COMMENT.

Omnis effectus intensi caloris in febribus, signum est febris vehementis.

Lentor dentibus tenaciter adhęrens, effectus est intensi caloris in febribus, *pituita crassitiem ac lentorem tribuentis.* Ergo

Lentor dentibus tenaciter adhęrens, signum est febris vehementis.

APHOR. LIV.

Ὀκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ βραχέα ἐρεθίζουσαι ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τι διψώδεες εἰσίν.

Quibus siccæ tusses paulùm irritantes in febribus ardentibus perseuerant, ij non

non admodum siticulosi sunt.

COMMENT.

Quicquid aliquam ad palatum, linguã, & fauces exsiccatas humiditatem attrahere pergit, sitim minuit.

Tussis sicca, *ab intemperie scilicet vel inaequalitate fauces & tracheam exasperante* leuiter irritans, ac perseuerans in febribus ardentibus, aliquam ad palatum, linguam, & fauces exsiccatas humiditatem attrahere pergit.

Ergo

Tussis sicca leuiter irritans, ac perseuerans in febribus ardentibus, sitim minuit.

APHOR. LV.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ, πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων.

Ex bubone febres omnes malæ, præter ephemeras.

COMMENT.

Omnes febres quæ à magna humorum copia & putredine, in venis ac præcipuis visceribus sita ortum ducunt, sunt malæ & formidabiles: quæ verò ab exigua humorum copia & putredine, in loco ignobili, excipiendísque humoribus noxiis dicato, sunt minùs malæ, & periculo vacantes.

Omnes febres ex bubone, putridæ quidem, *siue pestilentes fuerint, siue non*, à magna humorum copia & putredine, in venis ac præcipuis visceribus sita: ephemeræ autem ab exi-

gua humorum copia & putredine, in loco ignobili, excipiendísque noxiis humoribus dicato ortum ducunt. Ergo

Omnes febres ex bubone, putridæ quidem, sunt malæ & formidabiles: ephemeræ autem minùs malæ, & periculo vacantes.

APHOR. LVI.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγινόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν· μηκύνει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει.

Febricitanti sudor superueniens, febre nō deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & plus humiditatis inesse significat.

COMMENT.

Quicquid materiam morbificam arguit in corpore valido, aut debili, valde copiosam, nec nisi longo tempore coquendam: illud morbi longitudinem, aut mortem denunciat.

Sudor febricitanti superueniens, nec febrem soluens, materiam arguit in corpore valido, aut debili, valde copiosam, nec nisi longo tempore coquendam. Ergo

Sudor febricitanti superueniens, nec febrem soluens, morbi longitudinem, aut mortem denunciat.

APHOR. LVII.

Ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς

πυρετὸς ἐπιγινόμενος, λύει τὸ νόσημα.

Spasmo aut tetano febris si accesserit, morbum soluit.

COMMENT.

Quicquid aliquorum symptomatum causam coniunctam & antecedentem remouet, illud ea symptomata curat.

Febris superueniens spasmo vel tetano à repletione,& frigiditate,causam illorum symptomatum antecedentem & coniunctam remouet. Ergo

Febris superueniens spasmo vel tetano à repletione,& frigiditate, illa symptomata curat.

Huc pertinet aphor.26.secundæ sect.

APHOR. LVIII.

Ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ ἐπιγινομένου ῥίγεος, λύσις γίνεται.

Si febre ardente laboranti rigor superueniat, solutio fit.

COMMENT.

Quicquid perfectam causæ morbificæ vacuationem denotat ac promouet, morbi solutionem affert.

Rigor magnus febre ardente laboranti superueniens *die critica, post conspicuas coctionis notas, valida existente virtute*, perfectam causæ morbificæ vacuationom denotat ac promouet. Ergo

Rigor magnus febre ardente laboranti superueniens, morbi solutionem affert.

Minor ex eo patet, quia rigor vehemens in dicta febre, non solùm morbi materiam arguit affatim extra venas pelli, febrémque ipsam per sudorem copiosum solutam iri: verùm etiam per insignem illam partium agitationem, sudorem quodammodo exprimit. Porrò consentiunt huic aphor. 29. & 46. huius sect.

APHOR. LIX.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον.

Tertiana exquisita septenis ad summum circuitibus iudicatur.

COMMENT.

Quotidiana experientia docuit Hippocraté cæterósque omnes medicos, tertianam exquisitam, id est, à flaua bile syncera si continua vel ardens fuerit, septem diebus: si verò intermittens, septem ad summum periodis terminari, ídque ob naturam, tenuitatem, & acrimoniam bilis.

APHOR. LX.

Ὁκόσοισιν ἂν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα λύει τὸ νόσημα.

Quibus per febres aures obsurduerint, iis sanguis è naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum.

COMMENT.

Omne symptoma quod in febribus ab eadem fit materia à qua febris ipsa, ad febris solu-

tionem

tionem, totiúsque febrilis materiæ vacuationem, per sanguinis è naribus, aut alui fluxum remouetur.

Surditas leuior febricitantibus non raro adueniens, est symptoma quod ab eadem fit materia à qua febris ipsa. Ergo

Surditas leuior febricitantibus non raro adueniens, ad febris solutionem totiúsque febrilis materiæ vacuationem, per sanguinis è naribus, aut alui fluxum remouetur.

Hic conspicua fit deriuationis & reuulsionis vis maxima, vt & aphor. 28. huius sect.

APHOR. LXI.

Πυρέσσοντι ἢν μὴ ἐν περισσῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποστροφίζειν εἴωθεν.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reuerti.

COMMENT.

Omnis solutio morbi materialis, eo tempore contingens quo humor peccans non solet salubriter moueri, est cum periculo recidiuæ.

Omnis crisis quæ in febribus biliosis, diebus fit nudè & absolutè paribus *quales non sunt* 14. *&* 34. *vt habetur aphor. 36. huius sect.* solutio est morbi materialis, eo tempore contingens quo humor peccans non solet salubriter moueri. Ergo

Omnis crisis quæ in febribus biliosis. diebus fit

nudè & absolutè paribus, est cum periculo recidiuæ.

APHOR. LXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῆς ἑπτὰ ἡμέρων, κακόν.

Quibus per febres morbus regius superuenerit ante diem septimum, malum.

COMMENT.

Omne symptoma grauem morbum in præcipuo viscere, magnámque praui humoris copiam, naturæ dominio non subiectam arguens, malum est signum.

Icterus febribus ante diem septimum superueniens, symptoma est grauem morbũ in præcipuo viscere, *insignem scilicet obstructionem, aut inflammationem in hepate*, magnámque praui humoris copiam, naturæ dominio non subiectam, plerumque arguens. Ergo

Icterus febribus ante diem septimum superueniens, plerumque malum est signum.

Minor vel ex eo patet, quod icteri materia, quæ vt plurimùm, copiosa est & crassior bilis, si magno impetu moueatur ante septimum, cùm adhuc sit cruda, motus ille non est criticus, sed à morbo veniens & symptomaticus.

APHOR. LXIII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην

μέρlω ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρlω οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quibus in febribus certo die rigores repetunt, eodem febres soluuntur.

COMMENT.

Quicquid significat ingruentem febrem certis diebus de nouo inuadere, illud priorem febrem eisdem fuisse solutam indicio est: *alioqui non posset de nouo inuadere.*

Frigus, rigor, vel horror vehemens, non semel adueniens, significat ingruẽtem febrem certis diebus, *hoc est, quotidie, aut tertia, vel quarta quaque die* de nouo inuadere. Ergo

Frigus, rigor, vel horror vehemens, non semel adueniens, priorem febrem eisdem diebus fuisse solutam indicio est.

Aphor. LXIV.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθὸν, lω μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ· lω δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν.

Quibus per febres morbus regius die septimo, aut nono, aut vndecimo, aut quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium durum sit: alioqui minimè bonum.

COMMENT.

Quotiescunque bilis peccans mouetur ad partes ignobiles, die critica vel impari, cum signis coctionis, bonum est signum.

Quibus in febribus morbus regius superuenit die septimo, nono, vndecimo, vel decimoquarto, citra duritiem hypochondrij dextri, bilis peccans mouetur ad partes ignobiles, die critica vel impari, cum signis coctionis.

Ergo

Quibus in febribus morbus regius dictis diebus superuenit, citra duritiem hypochondrij dextri, bonum est signum.

Ea namque durities insignem arguit hepatis obstructionem, aut inflammationem, túncque signa coctionis non apparent.

APHOR. LXV.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι, περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν, καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

In febribus, circa ventriculum vehemens æstus & cordis morsus, malum.

COMMENT.

Quæcunque symptomata vires prosternentia, bilem designant copiosam, & sui acrimonia ventriculi os subinde lædentem, mala sunt vt signa & vt causæ.

Vehemens æstus circa ventriculum, & cordis morsus in febribus perseuerantes, syptomata sunt quæ vires prosternentia, bilem designant

gnant copiosam. & sui acrimonia ventriculi os subinde lædentem. Ergo

Vehemens æstus circa ventriculum, & cordis morsus in febribus perseuerantes, mala sunt vt signa & vt causæ.

APHOR. LXVI.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ, καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera vehementes dolores, malum.

COMMENT.

Quotiescunque naturæ magno morbo conflictatæ superueniunt affectus alij grauissimi, magnum adest mortis periculum.

Quoties in acutis febribus conuulsiones è siccitate, & circa viscera vehementes dolores, *ab insigni videlicet intemperie, vel à copiosa materia, vel ab vtraque causa*, contingunt, naturæ magno morbo conflictatæ, superueniunt affectus alij grauissimi. Ergo

Quoties in acutis febribus conuulsiones, & circa viscera vehementes dolores contingunt, magnum adest mortis periculum.

APHOR. LXVII.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ, κακόν.

In febribus per somnum pauores, aut conuulsiones, malum.

COMMENT.

Quæcunque arguunt humores, quo maximè tempore mitescere deberent, eo ipso fieri deteriores, ac magis furere, ea malum portendunt.

Pauores per somnum, aut conuulsiones in febribus, *à bile scilicet vel sanguine praæssatis, cerebrùmque & neruos ladentibus*, arguunt humores, quo maximè tempore mitescere deberent, eo ipso fieri deteriores, ac magis furere. Ergo

Pauores per somnum, aut conuulsiones in febribus malum portendunt.

Huc pertinet aph. . sect. .

APHOR. LXVIII.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακόν· σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

In febribus spiritus offendens, malo est: conuulsionem enim significat.

COMMENT.

Quicquid ægroto præter alia mala, conuulsionem è siccitate impendere significat, malum est signum.

Spiritus in febribus vehementibus, media respiratione citra causam manifestam interceptus, ægroto præter alia mala, conuulsionem è siccitate impendere significat. Ergo

Spiritus in febribus vehementibus, media respiratione citra causam manifestam interceptus, malum est signum.

APHOR.

Aphor. LXIX.

Ὁκόσοισιν οὖρα παχέα, θρομβώδεα, ὀλίγα, οὐκ ἀπυρετοῖσι, πλῆθος ἐπελθὸν ἐκ τουτέων λεπτὸν, ὠφελέει. μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται οἷσιν ἐξ ἀρχῆς, ἢ διὰ ταχέων ὑπόστασιν ἴσχει.

Quibus vrinæ ſunt craſſæ, grumoſæ, & paucæ, non ſine febre ſi ab his tenues & copioſæ meiantur, proſunt. Maximè verò tales redduntur, in quibus ſtatim ab initio, vel non ita multò pòſt, ſedimentum apparuerit.

COMMENT.

Quæcunque excrementa primis morbi diebus cruda apparent, poſtea multò elaboratiora, inter ſalubria ſigna reponi debent, eorúmque euacuatio vtilis cenſeri.

Vrinæ quæ ſtatim ab initio febrium pituitoſarum, vel paulò pòſt, craſſæ, paucæ & grumoſæ, *id eſt cum inæquali ſedimento propter materiæ craſſitiem, lentorem, & pondus*, poſteà copioſæ, & in craſſitie ac tenuitate mediocres meiuntur: excremēta ſunt quæ primis morbi diebus cruda apparent, poſtea multò elaboratiora. Ergo

Vrinæ quæ ſtatim ab initio febrium pituitoſarum vel paulò pòſt, craſſæ, paucæ & grumoſæ, poſtea copioſæ, & in craſſitie ac tenuitate mediocres meiuntur, inter ſalubria ſigna re-

poni debent, earúmque euacuatio vtilis censeri.

APHOR. LXX.

Οκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀναπεταραγμένα, οἷον ὑποζυγίου, τουτέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Quibus per febres vrinæ turbatæ, quales iumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit.

COMMENT.

Quæcunque calorem insignem arguunt in hepate & venis, agentem in crassam & copiosam materiam, ab eáque vapores plurimos ac densos exsuscitantem: illa capitis dolorem præsentem aut futurum denunciant.

Vrinæ per febres turbatæ, quales iumentorum, insignem calorem arguunt in hepate & venis, agentem in crassam & copiosam materiam, ab eáque vapores plurimos ac densos exsuscitantem. Ergo

Vrinæ per febres turbatæ, quales iumentorum, capitis dolorem præsentem aut futurum denunciant.

APHOR. LXXI.

Οκόσοισιν ἑβδομαῖα κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον.

Quibus

Quibus de ſeptimo futura criſis eſt, iis vrina rubram die quarto nubeculam habet, cæteráque pro ratione.

COMMENT.

Omnis criſis perfecta quę fieri debet aliquo die decretorio, neceſſe eſt die indice præcedente per coctionis ſigna demonſtretur: *pepaſmus enim proxima eſt ad criſim præparatio.*

Ergo

Criſis perfecta quæ die ſeptima, v. gr. fieri debet, neceſſe eſt quarta die, ex vrina rubram nubeculam, aut aliquod aliud euidentius coctionis ſignum habente præmonſtretur.

APHOR. LXXII.

Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρά. μάλιστα δ᾽ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

Quibus pellucidæ & albæ ſunt vrinæ, malæ: maximè verò ſi in phreniticis appareant.

COMMENT.

Quæcunque maximam in quouis morbo humorum cruditatem, in biliosis verò & peracutis cerebri affectibus, bilis etiam raptum in caput denotant: illa pro morbi viriúmque ratione plus minus mala ſunt, aut pernicioſa.

Vrinæ pellucidæ & albæ, maximam in quouis morbo humorum cruditatem: in phrenitide

autem bilis etiam raptum in caput denotant. Ergo

Vrinæ pellucidæ & albæ, pro morbi viriúmque ratione, plus minùs malæ sunt: in phrenitide autem perniciosæ.

Aphor. LXXIII.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορείζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγενομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ· ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus elata hypochondria murmurant, lumborum superueniente dolore aluus humectatur, nisi infernè flatus erumpant, aut vrinæ multitudo prodeat: hæc verò in febribus.

COMMENT.

Quotiescunque citra peculiarem visceris alicuius morbum, copiosus humor flatui admixtus arguitur in hypochondriis, tunc si lumborum dolor subsequatur, indicio est vel materiam totam ad intestina descendere, & aluum humectatum iri, vel flatus tantùm per sedem erupturos, humorem verò translatum ad renes, per vrinas effluxurum.

Vbi elata hypochondria murmurant in febribus non symptomaticis, tunc citra peculia-

rem

rem visceris alicuius morbum, copiosus humor flatui admixtus arguitur in hypochondriis. Ergo

Vbi elata hypochondria murmurant in febribus non symptomacis, tunc si lumborum dolor subsequatur, indicio est vel materiam totam ad intestina descendere, & aluum humectatum iri, vel flatus tantùm per sedem erupturos, humorem vero translatum ad renes, per vrinas effluxurum.

APHOR. LXXIV.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς τὰ ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι. ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμοῤῥαγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

Vbi spes est ad articulos abscessum iri, abscessu liberat vrina multa, crassa, & alba reddita: qualis in febribus laboriosis quarto die quibusdam exire incipit. Quòd si ex naribus etiam sanguis profluxerit, breui admodum solutio fit.

COMMENT.

Quotiescunque febris materia, quæ abscessum ad articulos minabatur, extra corpus pellitur, tunc vnà cum solutione febris abscessus fieri prohibetur: & quò materia noxia citiùs euacuatur, eò promptiùs morbus soluitur.

Quoties in febre ex laſſitudine vrina multa, craſſa, & alba excernitur, *qualis in hac febre ob magnam humorum agitationem quarta ferè die incipit excerni*, febris materia quæ abſceſſum ad articulos minabatur, extra corpus pellitur: quòd ſi ſanguis etiam è naribus profluat, materia noxia, *tenuior per ſupernam, craßior per infernam regionem*, citiùs euacuatur. Ergo

Quoties in febre ex laſſitudine vrina multa, craſſa, & alba excernitur, vnà cum ſolutione febris, abſceſſus fieri prohibetur: quòd ſi ſanguis etiam è naribus profluat, eò promptiùs morbus ſoluitur.

APHOR. LXXV.

Ην αἷμα ἢ πῦον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis ſanguinem aut pus meiat, renum aut veſicę exulceratio ſignificatur.

COMMENT.

Quotieſcunque apparent ſigna vlceris vniuoca, è locis excernendæ vrinæ dicatis prodeũtia, debet medicus colligere vlcus eſſe in dictis locis vnde ſigna prodeunt, renibus nempe, veſica, vel vtrobique.

Quoties ſanguis & pus per vrinas excernuntur, & puris excretio diu perſeuerat, apparent ſigna vlceris vniuoca, è locis excernẽdæ vrinæ dicatis prodeuntia. Ergo

Quoties ſanguis & pus per vrinas excernuntur, & puris excretio diu perſeuerat, debet medicus

dicus colligere vlcus esse in dictis locis vnde signa prodeunt, renibus nempe, vesica, vel vtrobique.

APHOR. LXXVI.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι, σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus cum vrina crassa exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeunt, his à renibus fit excretio.

COMMENT.

Omnia excreta vlceratos aut præcalfactos renes arguentia, à renibus proficiscuntur.

Exiguæ carunculæ, seu sanguinis præassati portiunculæ, aut veluti pili egredientes cum vrina laudabili, *id est, crassiuscula, bonámque hepatis constitutionem demonstrante*: excreta sunt vlceratos aut præcalfactos renes arguentia.

Ergo

Exiguæ carunculæ, seu sanguinis præassati portiunculæ, aut veluti pili egredientes cum vrina laudabili, à renibus proficiscuntur.

Vrinarum contenta pilos referentia, ex lenta materia fiunt, à renum calore torrefacta.

APHOR. LXXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι πιτυρώδεα συνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ.

Quibus cum vrina crassa, furfurosa quædam vnà exeunt, his vesica scabie laborat.

COMMENT.

Quotiescunque crassiusculæ & exiguæ portiunculæ, cum solidis multis partibus congeneres excernuntur, & bonæ constitutionis dictarum partium signa apparent, earum verò vna sanitatis suæ non profert indicia: coniectandum eam partem laborare.

Vbi cum vrina crassa, *hoc est minimè cruda*, furfurosa quædam vnà exeunt, tunc crassiusculæ & exiguæ portiunculæ, cum solidis multis partibus *per vias lotij se exonerantibus venis, puta, vreteribus, vesica,* congeneres excernuntur, ac bonæ constitutionis partium congenerum, *venarum nempe & vreterum* signa apparent *tum in vrina laudabili, tum in doloris vreterum* absentia, earum verò vna, vesica nempe, sanitatis suæ non profert indicia.

Ergo

Vbi cum vrina crassa, furfurosa quædam vnà exeunt, coniectandum vesicam laborare, *hoc est leuiter excoriari, maximè quum per eiusmodi excretionem, in eius regione tristis quidam sensus ab ægro percipitur.*

APHOR. LXXVIII.

Ὁκόσοι ἀπὸ ταυτομάτου αἷμα οὐρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει.

Qui

Qui inopinanter ſanguinem meiunt, iis à renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur.

COMMENT.

Omnis mictio ſanguinis quæ referri nequit ad διαπήδησιν, vel ἀναστόμωσιν venarum veſicæ aut renum, ad διάβρωσιν, hoc eſt, ad ruptam in renibus venulam eſt referenda.

Synceri ſanguinis mictio inopinanter & repentè aueniens, referri nequit ad διαπήδησιν, vel ἀναστόμωσιν venarum veſicæ aut renum: *quia ob dictas cauſas vrina plus minus cruenta potius excernitur, quàm ſanguis ſyncerus, & euſmodi vrinæ excretio ſenſim potius fit quàm repentè.*

Ergo

Synceri ſanguinis mictio inopinanter & repentè aueniens, ad διάβρωσιν, hoc eſt, ad ruptam in renibus venulam eſt referenda.

APHOR. LXXIX.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις ἢ νεφροὶ λιθιῶσι.

Quibus in vrina ſubſident ſabuloſa, iis veſica aut renes calculo laborant.

COMMENT.

Quæcunque præſentiam arguunt cauſarum calculi eſſentialium in renibus, aut veſica, vel vtrobique, illa ſunt ſignum præſentis, aut imminentis calculi in altera, vel vtraque dictarum regionum.

Vrinæ cum ſedimento ſabuloſo, præſentiam arguunt cauſarum calculi eſſentialium in renibus,veſica,vel vtrobique. Ergo

Vrinæ cum ſedimento ſabuloſo, ſunt ſignum præſentis aut imminentis calculi in altera vel vtraque dictarum regionum.

APHOR. LXXX.

Ην αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον καὶ ἐς τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονέει.

Si quis ſanguinem aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat, dolore ad hypogaſtrium ſeu pectinem, & perinæum pertinente, ad veſicam loca laborant.

COMMENT.

Quæcunque ſymptomata ſuos morbos immediatè ſequentia, in locis vigent ad veſicam ſitis, & cum ea conſortium habentibus, morbos etiam talium ſymptomatum authores,in eiſdem locis vigere ſignificant.

Sanguinis fluxilis aut grumoſi mictio, ſtranguria, dolor item ad hypogaſtrium ſeu pectinem,& perinæum attinens.ſymptomata ſunt quæ morbos immediatè ſequentia, in locis vigent ad veſicam ſitis, & cum ea conſortium habentibus. Ergo

Sanguinis fluxilis aut grumoſi mictio,ſtranguria,

ria, dolor item ad hypogastrium, & perinæum attinens, morbos etiam talium symptomatum authores, in eisdem locis vigere significant.

Aphor. LXXXI.

Ην αἷμα καὶ πῦον οὐρέῃ, καὶ λεπίδας, καὶ ὀσμὴ βαρεῖη ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis sanguinem, aut pus, aut squamulas meiat, & grauis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur.

COMMENT.

Quotiescunque præter exeuntia mutata, diuersis partibus, vesicæ nimirùm, vreteribus, renibus, ac venis communia, qualitas exeuntium determinata occurrit, vesicam priuatim vlcere detineri ostendens: tunc medicus debet ex omnibus illis symptomatis vesicam ita vlceratam pronunciare, vt non eat inficias aliam quoque ex dictis partibus vnà ægrotare posse.

Quum quis sanguinem, & pus, & squamulas mingit, ac fœtor adest: præter exeuntia mutata, diuersis partibus, vesicæ nimirū vreteribus, renibus, ac venis communia, qualitas exeuntium determinata, *fœtor nempe*, occurrit, vesicam priuatim vlcere detineri ostendens.

Ergo

Quum quis sanguinem, & pus, & squamulas mingit, ac fœtor adest, medicus debet ex

omnibus illis symptomatis vesicam ita vlceratam pronunciare, vt non eat inficias aliam quoque ex dictis partibus vnà ægrotare posse.

APHOR. LXXXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα φύεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

Quibus in meatu vrinario nascitur tuberculum, suppurato eo & rupto, solutio.

COMMENT.

Quotiescunque tollitur causa à qua tumor pendet, aliquem vrinarium ductum constipans, vrinam supprimens, ac dolorem faciens, tunc morbus in via, eúmque sequentia symptomata, dolor nempe, & stranguria soluuntur.

Quoties fit suppuratio & ruptio, vel digestio calidi tuberculi in vrinaria fistula enati, tollitur causa à qua tumor pendet, aliquem vrinarium ductum constipans, vrinam supprimens, ac dolorem faciens. Ergo

Quoties fit suppuratio & ruptio, vel digestio calidi tuberculi in vrinaria fistula enati, tunc morbus in via, eúmque sequentia symptomata, dolor nempe, & stranguria soluuntur.

APHOR. LXXXIII.

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

Mictus

Mictus noctu plurimus paruam deiectionem ſignificat.

COMMENT.

Quicquid arguit potulentam materiam ingeſtam, ab hepate & renibus valenter attrahi, & ab inteſtinis ad veſicam deriuari, illud alui ſiccitatem, & parcas deiectiones ſignificat.

Mictio plurima noctu facta, arguit materiam potulentam ingeſtam, ab hepate & renibus valenter attrahi, & ab inteſtinis ad veſicam deriuari Ergo

Mictio plurima noctu facta, alui ſiccitatem, & parcas deiectiones ſignificat.

QVARTÆ SECTIONIS

FINIS.

PAVLI OFFREDI MEDICI,

IN QVINTAM HIPpocratis Aphorismorum sectionem,

Commentaria Aphoristica, ad methodum analyticam redacta.

Argumentum sectionis.

REFERT *signa prognostica in immodicis inanitionibus & repletionibus, in nonnullis capitis ac thoracis affectibus, in plerisque morbis mulierum, præsertim utero gerentium, & in*

& in quibusdam ulceribus ac tumoribus. Calidi item frigidíque commoda & incommoda recenset, pauca quædam intermiscens ad therapeuticen facientia.

APHOR. I.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.
Conuulsio ab elleboro, lethalis.

COMMENT.

Quicquid arguit neruosum genus ob venenosam qualitatem, vel propter oris ventriculi morsum exagitari, aut ob violentam purgationem & exsiccationem arefieri, siue vno, pluribus, vel omnibus his modis afficiatur: illud, pro virium, dictorúmque affectuum ratione, maiorem vel minorem in curãdo difficultatem, aut mortem magis minúsve certam portendit.

Conuulsio ab elleboro albo, arguit neruorsum genus vno, pluribus, vel omnibus prædictis modis affici. Ergo

Conuulsio ab elleboro albo, pro virium dictorúmque affectuum ratione, maiorem vel minorem in curando difficultatem, aut mortem magis minúsve certam portendit.

APHOR. II.

Ἐπὶ τρώματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος, θανάσιμον.

Conuulſio à vulnere perniciosa.

COMMENT.

Quicquid ſignificat neruos in læſa parte ita affici, vt cerebrum in conſenſum trahatur, eſt pernicioſum.

Conuulſio à vulnere ſignificat neruos in læſa parte *vel ſolo dolore, vel etiam inflammatione* ita affici, vt cerebrum in conſenſum trahatur. Ergo

Conuulſio à vulnere eſt pernicioſa.

APHOR. III.

Αἵματος πολλοῦ ῥυέντος, σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

A copioſo ſanguinis fluxu conuulſio, aut ſingultus, malum.

COMMENT.

Quicquid inſignem neruorum, aut oris ventriculi ſiccitatem, cum magna virium imbecillitate denotat, illud morbum deſignat periculi plenum.

Conuulſio aut ſingultus copioſo ſanguinis profluuio ſuperueniens, inſignem neruorũ aut oris ventriculi ſiccitatem cum magna virium imbecillitate denotat. Ergo

Conuulſio aut ſingultus copioſo ſanguinis profluuio

profluuio superueniens, morbum designat periculi plenum.

APHOR. IV.

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

A superpurgatione conuulsio aut singultus, malum.

COMMENT.

Quicquid præter excrementitios humores plus satis euacuatos, alimentalem quoque succum à neruosis partibus, aut speciatim ab ore superno ventriculi, magna cum agitatione absumi denotat, mali est ominis.

Conuulsio aut singultus ὑπερκαθάρσει superueniens, præter excrementitios humores plus satis euacuatos, alimentalem quoque succum à neruosis partibus, aut speciatim ab ore superno ventriculi, magna cum agitatione absumi denotat. Ergo

Conuulsio aut singultus ὑπερκαθάρσει superueniens, mali est ominis.

APHOR. V.

Ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν, καθ᾽ ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

Si ebrius quispiam derepentè obmutescat, conuulsus moritur, nisi febre cor-

ripiatur, aut qua hora crapula soluitur, vocem recuperet.

COMMENT.

Quicquid cerebro vaporibus ita obruto existente, vt vox cum sensu & motu derepente aboleatur, morbum arguit adhuc inualescere, variósque humores neruos inuadere: illud propinquam mortem denunciat, nisi aut febris superueniat, calore suo noxias materias coquens ac discutiens; aut naturæ morbum superantis signum aliquod affulgeat.

Conuulsio ebrium hominem caro detentum corripiens, arguit, cerebro vaporibus ita obruto existente, vt vox cum sensu & motu derepentè aboleatur, morbum adhuc inualescere, variósque humores neruos inuadere.

Ergo

Conuulsio ebrium hominem caro detentum corripiens, propinquam mortem denunciat, nisi aut febris superueniat, calore suo noxias materias coquens ac discutiens, aut naturæ morbum superantis signũ aliquod affulgeat, *puta si vox qua hora crapula solui consueuit, ægro restituatur.*

APHOR. VI.

Ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt: si verò hos superauerint,

uerint, incolumes euadunt.

COMMENT.

Quicunque morbo detinentur exactè peracuto, & primo statim initio; vires prosternente, magna ex parte moriũtur intra quatriduum: sin indicium adsit virium morbo fortiter obsistentium, incolumes euadunt.

Qui tetano corripiũtur, morbo detinentur exactè peracuto, & primo statim initio vires prosternente: quod si spatium illud transigãt, indicium adest virium morbo fortiter obsistentium. Ergo

Qui tetano corripiuntur, magna ex parte moriuntur intra quatriduum: quòd si spatium illud transigant, incolumes euadunt.

APHOR. VII.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἴσχει· ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Epilepsia ante pubertatem, amotionem recipit: post vicesimum verò quintum annum, ferè comitatur ad mortem vsque.

COMMENT.

Omnis morbus diuturnus, frigidus, & humidus, qui cedit idoneis remediis, curatur his potissimùm quæ frigidum humidúmque tẽperamentum, mali fomitem, sensim possunt

ac velut essentialiter in calidius &siccius mutare: qui verò remediis eisdem resistit, ad mortem vsque ferè comitatur.

Epilepsia à pituita, in infantia vel pueritia incipiens, morbus est diuturnus, frigidus & humidus, qui vel cedit idoneis remediis, vel eisdem resistit. Ergo

Epilepsia à pituita, in infantia vel pueritia incipiens, vel his potissimùm curatur quæ frigidum humidúmque *cerebri aut etiam totius* temperamentum, mali fomitem, sensim possunt ac velut essentialiter in calidius & siccius mutare: *vt est loci & victus, præcipuè verò priorum ætatum in medias mutatio*: vel ad mortem vsque ferè comitatur, *cùm ea ætatum mutatione, per totum scilicet pubertatis & adolescentiæ decursum non sanescat, quo maximè tempore virium robur, ductuúmque amplitudo perfectionem debitam attingunt.*

Huc pertinent aphor.45.sect.2.& 28.tertiæ.

APHOR. VIII.

Ὁκόσοι πλευριτικοὶ γενόμενοι, οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσιν, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

Qui pleuritide laborant nisi intra dies quatuordecim superne repurgentur, iis in empyema fit mali translatio.

COMMENT.

Omnis morbus materialis acutus, qui dies qua-

quatuordecim peruadit, in alium morbum sibi consecutione coniunctum sæpe degenerat.

Pleuritis est morbus materialis acutus, qui sæpe dies quatuordecim peruadit: *dum nempe nec ad salutem per idoneam vacuationem, nec eius defectu ad mortem terminatur.*

Ergo

Pleuritis in alium morbum sibi consecutione coniunctum, *empyema scilicet*, sæpe degenerat.

APHOR. IX.

Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων, μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα.

Tabes iis maximè ætatibus fit, quæ à decimo octauo sunt anno ad tricesimum quintum.

COMMENT.

Omnes morbi à nimia sanguinis redundantia vel acrimonia, simúlque à deprauato victu, violentísque exercitiis oriundi, adolescentes potissimùm & iuuenes inuadunt, ab anno scilicet decimo octauo ad tricesimum quintum.

Tabes à pulmonis vlcere, ob venam ruptam aut erosam, sunt morbi à nimia sanguinis redundantia vel acrimonia, simúlque à deprauato victu violentísq; exercitiis oriundi.

Ergo

Tabes dictæ, adolescentes potissimùm & iuuenes inuadunt ab anno scilicet decimo octauo ad tricesimum quintum.

APHOR. X.

Ὁκόσοισι κυνάγχην διαφεύγουσιν ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ἔμπυοι γίνονται.

Quibus ex angina in pulmonem mali fit conuersio, ij intra dies septem moriuntur: si verò hos effugerint, purulenti euadunt.

COMMENT.

Quotiescunque translatione materiæ noxiæ in calidam partem, ac vitæ pernecessariã, morbus simpliciter peracutus alteri morbo succedit, tunc æger vel intra septem dies moritur, vel si vlteriùs viuere pergat, in alium truditur morbum consecutionis vinculo prioribus connexum.

Quoties ex angina in pulmonem mali fit conuersio, translatione materię noxiæ in partem calidam. ac vitæ pernecessariam, morbus simpliciter peracutus, *videlicet peripneumonia*, alteri morbo succedit. Ergo

Quoties ex angina in pulmonem mali fit conuersio, æger vel intra septem dies moritur, vel si vlteriùs viuere pergat, in alium truditur morbum, *empyema scilicet*, consecutionis vinculo

vinculo prioribus connexum.

APHOR. XI.

Τοῖσιν ὑπὸ τῆς φθίσιων ἐνοχλουμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανάσιμον.

Qui tabe vexantur, si sputum quod extussiunt, carbonibus iniectum graueolet, & capilli defluunt, perniciosum.

COMMENT.

Quæcunque malignam in pulmone putredinem, simúlque insignem humorum corruptelam, aut alimenti defectum in toto denotant, sunt perniciosa.

Sputum in phthisi carbonibus iniectum graueolens, & capillorum defluuium, malignam in pulmone putredinem, simúlque insignem humorum corruptelam, aut alimenti defectum in toto denotant. Ergo

Sputum in phthisi carbonibus iniectum graueolens, & capillorum defluuium, sunt perniciosa.

APHOR. XII.

Ὁκόσοισιν ἂν φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, οὗτοι διαῤῥοίης ἐπιγενομένης ἀποθνήσκουσιν.

Quibus per tabem capilli defluunt, hi,fluxione alui superueniente,moriuntur.

COMMENT.

Quoticscunque graui morbo detentis cum hectica febre, signum adest magnæ in toto cacochymiæ,vel alimenti inopiæ,vna cum symptomate virium imbecillitatem arguente & augente:in propinquo mors.

Quoties phthisicis capillorum defluuio correptis,superuenit etiam alui fluxus,tunc graui morbo detentis cum hectica febre, signum adest magnæ in toto cacochymiæ , vel alimenti inopiæ , vna cum symptomate virium imbecillitatem arguente & augente. Ergo

Quoties phthisicis capillorum defluuio correptis, superuenit etiam alui fluxus,in propinquo mors.

APHOR. XIII.

Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτύουσι, τουτέοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται.

Qui spumantem sanguinem extussiunt,iis ex pulmone educitur.

COMMENT.

Omnis materia quæ certo modo thoracis proprio vacuatur , & essentialem cum pulmone affinitatem retinet, ab ipso pulmone prodit.

Sanguis spumans *multi aëris particeps* , qui per tussim excernitur materia est,quæ certo modo tho-

do thoracis proprio vacuatur, & essentialem retinet affinitatem cum pulmone, *utpote visscere cuius substantia quodammodo spumosa aëreo veluti sanguine nutritur.* Ergo

Sanguis spumans, qui per tussim excernitur, è pulmone prodit.

Gal. super aphor. 39. huius sect. spumosæ humiditatis meminit contentæ in pulmonis carne.

APHOR. XIV.

Ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγινομένη, θανατῶδες.

Tabe detento profluuium alui superueniens, perniciosum.

COMMENT.

Omne symptoma, in corporibus diuturno grauique morbo detentis, magnam arguens & augens virium imbecillitatem, est perniciei signum & causa.

Profluuium alui tabidis maligna febre correptis superueniens, symptoma est, in corporibus diuturno grauique morbo detentis, magnam arguens & augens virium imbecillitatem. Ergo

Profluuium alui tabidis maligna febre correptis superueniens, est perniciei signum & causa.

APHOR. XV.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡ-

μέρῃσιν ἀφ' ἧς αἱ ἡ ῥῆξις γένωνται, παύονται· ἢν δὲ μὴ, εἰς φθίσιν μεθίστανται.

Qui ex pleuritide empyi fiunt, si repurgentur intra dies quadraginta, à ruptione liberantur: alioqui transeunt in tabem.

COMMENT.

Quoties morbus acutus in alium ex prolapsu acutum, ob suppuratam effusámque in calidiorem locum morbi materiam degenerat, tunc pro loci affecti vicinarúmque partium ratione, in morbum insanabilem mutatur, nisi intra quadraginta dies à rupta vomica, puris repurgatio fiat.

Quoties pleuritidi succedit empyema, morbus acutus in alium ex prolapsu acutum, ob suppuratam effusámque in calidiorem locum morbi materiam degenerat. Ergo

Quoties pleuritidi succedit empyema, tunc pro loci affecti, vicinarúmque partium ratione, in morbum insanabilem, *phthisim nempe à pulmonis Vlcere*, mutatur, nisi intra quadraginta dies à rupta vomica, puris repurgatio fiat.

APHOR. XVI.

Τὸ θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμορραγίας,

μοῤῥαγίας, λειποθυμίας, ταῦτα οἷσι θάνατος.

Calidum frequentiore vſu hæc inuehit mala, carnis effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profuſiones ſanguinis, animi deliquia, ad quæ mors.

COMMENT.

Quicquid corporis partes vehementer laxat, calidum innatum cum ſpiritibus reſoluit aut ſuffocat, & vi attenuãte ſanguineam maſſam in molem maiorem attollit: illud carnis effœminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, ſanguinis profuſiones, & animi deliquia inuehit, ad quæ multoties mors.

Calidum frequentiore vſu, *ſiue balneum fuerit, fomentum, ambiens, aut vinum copioſè hauſtum*, corporis partes vehementer laxat, calidum innatum cum ſpiritibus reſoluit aut ſuffocat, & vi attenuante ſanguineam maſſam in molem maiorem attollit. Ergo

Calidum frequentiore vſu carnis effœminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, ſanguinis profuſiones, & animi deliquia inuehit, ad quæ multoties mors.

Hinc licet colligere cur Indorum plerique ſint imbelles & effœminati: cur etiam temulenti magna ex parte manus habeant tremu-

las, hebeti sint ingenio, & caro vel apoplexiæ obnoxij.

APHOR. XVII.

Τὸ δὲ ψυχρὸν σπασμοὺς, τετάνους, μελασμοὺς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.

Frigidum vero conuulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles affert.

COMMENT.

Quicquid excrementorũ per cutim exhalationem prohibet, aut neruos impensè exsiccat & vellicat, calorémque partium externarum quadantenus extinguit: illud tetanos, conuulsiones ésque tum legitimas tum spurias, & nigrores ac rigores febriles inducit.

Ambiens immodicè frigidum excrementorum per cutim exhalationem prohibet, aut neruos impensè exsiccat, *roridam scilicet eorum humiditatem congelando vel exprimendo*, & vellicat, calorémque partium externarum quadantenus extinguit. Ergo

Ambiens immodicè frigidum tetanos, conuulsionésque tum legitimas, *à repletione vel siccitate*, tum spurias, *ab acrium humorum cohibitorum morsu*, & nigrores, *extinctione caloris*, ac rigores febriles, *putrescentibus cohibitis humoribus*, inducit.

APHOR. XVIII.

Τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι, νεύροισι,

νεῦρ͂οισιν, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ· τὸ δὲ θερμὸν φίλιον.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, dorsali medulla: calidum verò amicum.

COMMENT.

Quicquid pusillum partium exanguium calorem imminuit, vel extinguit, est illis inimicum: quod vero calorem earum fouet, amicum.

Omne frigidum, comparatè ad ossa, dentes, neruos, cerebrum, & spinalem medullam, pusillum harum partium exanguium calorem imminuit vel extinguit: calidum vero eisdem partibus proportione respondens, calorem earum fouet. Ergo

Omne frigidum, comparatè ad ossa, dentes, neruos, cerebrum, & spinalem medullam, est iis partibus inimicum: calidum vero eisdem partibus proportione respondens, amicum.

APHOR. XIX.

Ὁκόσα κατέψυκται, ἐκθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγέει, ἢ μέλλει.

Quæ perfrigerata sunt, excalfacere oportet, præter ea quæ sanguinem profundunt, aut sunt profusura.

COMMENT.

Omnes partes quæ morbo laborant in intem-

perie, remediis contraria qualitate pollentibus sunt alterandæ: quòd si vrgens aliquod in eis symptoma indicata remedia prohibeat, ab illis tantisper abstinendum, donec vrgenti symptomati occurratur.

Quæ perfrigeratæ sunt partes, morbo laborant in intemperie: quod si sanguinem profundant, aut sint profusuræ, vrgens in eis symptoma indicata remedia prohibet, *nempe calefacientia.* Ergo

Quæ perfrigeratę sunt partes, remediis contraria qualitate pollentibus, *id est calefacientibus*, sunt alterandæ: quòd si sanguinem profundant, aut sint profusuræ, ab illis remediis tantisper abstinendum, donec vrgenti symptomati occurratur.

APHOR. XX.

Ελκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρυνέει, ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιέει, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς καὶ τετάνους.

Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, conuulsiones & tetanos.

COMMENT.

Quicquid violenta compressione partes quasi diuellit, & validè densando humidum exprimit, calidúmque natiuum imminuit vel ex-

tinguit, & excrementorum exhalationem per cutem prohibet: illud vlceribus eſt mordax, cutem circa vlcera indurat, dolorem inſuppurabilem facit, liuores in vlceribus inducit, & rigores febriles, conuulſionéſque in parte vlcerata, vel etiam in toto, ac tetanos promouet.

Frigidum violenta compreſſione partes quaſi diuellit, & validè denſando humidum exprimit, calidúmque natiuum imminuit vel extinguit, & excrementorum exhalationem per cutem prohibet. Ergo

Frigidum vlceribus eſt mordax, cutem circa vlcera indurat, dolorem inſuppurabilem facit, liuores in vlceribus inducit, & rigores febriles, conuulſionéſque in parte vlcerata, vel etiam in toto, ac tetanos promouet.

Huic affinis 17. huius ſect.

Aphor. XXI.

Ἐστὶ δὲ ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος νέῳ εὐσάρκῳ θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται. θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται.

Eſt tamen vbi in tetano ſine vlcere, iuuene euſarco, æſtate media, frigidæ larga profuſio calorem reuocat: calor verò morbum ſoluit.

COMMENT.

Quicquid in aliquibus corporibus, & certo tē-

pore poteſt tutò, citò, & iucundè tetanum, aliámve conuulſionem ſine vlcere perſanare: ad eius affectus curationem optimi remedij loco habendum.

Aquæ frigidæ larga profuſio, in corpore iuuenili quadrato, æſtate media, tetanum poteſt, aliámve conuulſionem ſine vlcere, tutò, citò, & iucundè perſanare, *calorem videlicet naturalem praualidum intrò pellendo, eundémque geminato robore praditum reuocando, & hac ratione morbi materiam frigidam craſſámque attenuando reſoluendóque.* Ergo

Aquæ frigidæ larga profuſio, in corpore iuuenili quadrato, æſtate media, ad curationem tetani, vel alterius conuulſionis ſine vlcere, optimi remedij loco habenda.

Aphor. XXII.

Τὸ θερμὸν ἐκπυητικὸν ὂν ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην, δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων σπασμῶν, τετάνων, παρηγορικόν· τὴν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρίην λύει. πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατάγμασι, μάλιστα δὲ τοῖσιν ἐψιλωμένοισι. τουτέων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι, καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει ἢ ἑλκοῦται, καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέ-

ρῃ,

ρη, κύστει· τουτέοισι γὰρ θερμὸν φίλιον καὶ κεῖνον, τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον.

Calidum suppurans in quouis vlcere, maximum securitatis indicium, cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, conuulsiones, tetanos mitigat: capitis grauitatem soluit: ossibus fractis plurimùm prodest, maximè si nudata sint, multóque magis si in capite. His etiam prodest quæ moriuntur aut vlcerantur à frigore: herpetibus denique exedentibus, sedi, pudendo, vtero, vesicæ, calidum amicum & decretorium, frigidum inimicum & interimens.

COMMENT.

Quicquid innatum calorem adiuuat & fouet, cutis meatus rarefacit, humores tenuat ac educit, illud in vlceribus non malignis, nec fluxione tentatis, pus mouet, cutem mollit & extenuat, dolorem & herpetas lenit, rigores, conuulsiones, tetanos mitigat, capitis grauitatem soluit, frigoris noxas prohibet, partibúsque neruosis & exanguibus, ossibus nempe, sedi, pudendo, vtero, vesicæ, est amicum.

Calidum debitam retinens proportionem ad morbos & partes affectas, innatum calorem adiuuat & fouet, cutis meatus rarefacit, humores tenuat ac educit. Ergo

Calidum debitam retinens proportionem ad morbos & partes affectas, in vlceribus non malignis nec fluxione tentatis pus mouet, cutem mollit & extenuat, aliáque præstat iam recensita, partibúsque neruosis & exanguibus supradictis est amicum, *frigidum verò inimicum.*

Contrariorum actiones per se, sunt contrariæ, contrariósque edunt effectus, calidum enim semper calefacit, & frigidum refrigerat: vnius verò contrarij actio essentialis, cum actione alterius contrarij accidentaria sæpe coincidit, vt dum calidum per se, frigidum per accidens calefaciendo, tetanum curant: vnde colligendum quæcunque à calido per se agente iuuantur, eadem lædi à frigido per se agente: secus si vnum contrariorum agat per se, alterum per accidens, vt dictum est.

Aphor. XXIII.

Ἐν τουτέοισι δὲ δεῖ τοῖς ψυχροῖς χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέειν μέλλει, μὴ ἐπ' αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ. καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ, ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα. ἐπεὶ τάγε παλαιὰ μελαίνει, καὶ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκούμενον ὠφελέει· ἐπεὶ τόγε ἑλκούμενον βλάπτει.

In his frigido vtendum vnde fluit sanguis

guis aut fluxurus est, non eodem loci, sed ad ea loca vnde influit, admoto: & si quæ partium inflammationes, aut deflagrationes ad rubrum sanguineúmve colorem tendunt, recenti efflorescente sanguine, iisdem ipsis adhibito: nam inueteratas nigrefacit: erysipelas etiam nō vlceratū iuuat, siquidē exulceratū lædit.

COMMENT.

Quicquid condensat, repellit, ardores attemperat, circa partes admouendum est vnde fluit, aut fluxurus est sanguis, præsertim ad ea loca vnde incipit motus: prodest item erysipelatis non vlceratis, & recentibus inflammationibus.

Frigidū condensit, repellit, ardores attemperat.

Ergo

Frigidum circa partes admouendum est vnde fluit aut fluxurus est sanguis, præsertim ad ea loca vnde incipit motus: prodest item erysipelatis non vlceratis, ac recentibus inflammationibus, *vigente scilicet feruore, nam inueteratas per caloris extinctionē nigrefacit.*

APHOR. XXIV.

Τὰ ψυχρὰ οἷον χιὼν, καὶ κρύσταλλος τῷ στήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ, αἱμοῤῥοϊκὰ, καταῤῥοϊκά.

Frigida veluti nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinis pro-

fusiones,& destillationes.

COMMENT.

Quicquid valéter refrigerat,cõprimit, & cōdēsat,illud *respirationis organa refrigerādo, angustando, & exhalationem cohibendo*, pectori est inimicum, tusses, sanguinis profusiones, & *compressione cerebri* destillationes mouet.

Frigidum veluti nix & glacies, valenter refrigerat, comprimit, & condensat. Ergo

Frigidum veluti nix & glacies, pectori est inimicum, tusses, sanguinis profusiones, ac destillationes mouet.

APHOR. XXV.

Τὰ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, καὶ σπάσματα, τουτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει. Νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

Articulorum tumores & dolores absque vlcere, atque etiam podagricos, & conuulsiones magna ex parte frigida largè affusa leuat aut extenuat, ac dolorem soluit. Nam modicus torpor doloris solutionem affert.

COMMENT.

Quicquid validè repellit, ac loci affecti sensum hebetat, per accidens verò naturalem calorem

rem auget, illud, magna ex parte, calidos articulorum tumores vlceris expertes, qui adhuc fiunt, minuit, dolores eorum & podagricos sedat, conuulsionésque à repletione soluit.

Aqua frigida largè affusa validè repellit, ac loci affecti sensum hebetat, per accidens verò naturalem calorem auget. Ergo

Aqua frigida largè affusa minuit, magna ex parte calidos articulorum tumores vlceris expertes, & qui adhuc fiunt, eorum dolores & podagricos sedat, conuulsionésque à repletione soluit.

Huic aphor. sunt affines 21. & 23. huius sect.

APHOR. XXVI.

Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

Aqua quæ citò calefit & citò refrigeratur, leuissima.

COMMENT.

Omnis aqua quæ promptè alteratur, & contraria facillimè suscipit, tenuissima est leuissimáque, *vt quæ ad aëris naturam propiùs accedat.*

Aqua quæ citò calefit & citò refrigeratur, promptè alteratur, & contraria facillimè suscipit. Ergo

Aqua quæ citò calefit & citò refrigeratur, tenuissima est leuissimáque.

Ideò ebibita ventrem & hypochondria fa-

Suffitus aromatum calefacit, attenuat, aperit.

Ergo

Suffitus aromatum menstrua educit, ob dictas causas retenta.

Quia verò caput lædit, calore ac fumo naturaliter ascendentibus, ob id minùs frequenter vsurpari debet.

APHOR. XXIX.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν ἧσσον· τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι.

Grauidas purgabis, si materia turgeat, à quarto mense vsque ad septimum, sed has minùs: in recentiore verò aut maturiore gestatione, purgantia vitabis.

COMMENT.

Quotiescunque grauidæ mulieres egent purgatione, & fœtui à purgantibus medicamentis periculi impendet minùs, tunc purgari debent: quum verò maius imminet periculum à purgatione abstinendum.

Quoties in mulieribus vtero gerentibus, praui humores abundant, iidémque vel turgent, vel concocti sunt, tribus mediis gestationis mensibus: *quibus fœtus vteri cotyledonibus validiùs alligatur, neque magno sui pondere deorsum vergit, neque noxas ob sensum adhuc hebetem multùm percipit, neque validos habet motus quibus vincula disrumpat:* tunc graui-

dæ mulieres egent purgatione, & fœtui à purgantibus medicamentis periculi impendet minùs: contrà verò tribus primis mensibus, *propter mollissima & imbecillima ligamenta*, ac tribus postremis, *ob vinculorum laxitatem à vicina partus maturitate, & ob auctum fœtus ipsius pondus, sensum, & virium robur*, periculum impendet maius. Ergo

Quoties in mulieribus vtero gerentibus, praui humores abundant, iidémque vel turgent, vel cōcocti sunt, tribus mediis gestationis mēsibus; tunc purgari debent, *à quarto nempe ad septimum*: contra verò tribus primis postremísque mensibus, à purgatione abstinēdum.

In grauida muliere morbo correpta, materia purgatu facilis, plus potest mediis mensibus ad indicandum pharmacum, quàm fœtus ad prohibendum: quanquam & aliis mensibus, ei semper occurrendum quod magis vrget, reliquo non spreto.

APHOR. XXX.

Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον, εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

Mulier vtero gerens secta vena abortit, eóque magis si sit fœtus grandior.

COMMENT.

Quotiescunque fœtus defraudatur alimento debito, contingit abortus.

Vbi sanguis per venam sectam detrahitur mulieri

lieri parum sanguineæ, vtero gerenti, præsertim postremis mensibus, fœtus defraudatur alimento debito. Ergo

Vbi sanguis per venam sectam detrahitur mulieri parum sanguineæ, vtero gerenti, præsertim postremis mensibus, *quibus est grandior fœtus*, contingit abortus.

APHOR. XXXI.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ὑπό τινος τῶν ὀξέων νουσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, perniciosum.

COMMENT.

Quicquid symptomata vehementia, tenuísque diætæ necessitatem infert, illud est in grauida muliere perniciosum.

Omnis morbus acutus, symptomata vehementia, tenuísque diætæ necessitatem infert.

Ergo

Omnis morbus acutus est in grauida muliere perniciosus, *id est frequenter lethalis*.

APHOR. XXXII.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις γίνεται.

Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus solutio fit.

COMMENT.

Quotiescunque materia quæ symptomatico

impetu sursum mouebatur, ad infernas partes commodè transfertur: symptomatis fit solutio.

Quoties mulieri sanguinem euomenti, menstrua erumpunt, materia quæ symptomatico impetu sursum mouebatur, ad infernas partes commodè tránsfertur. Ergo

Quoties mulieri sanguinem euomenti, menstrua erumpunt, symptomatis fit solutio.

Ideò medicus æmulator naturæ, sanguinis eiusmodi vomitum, per sectam etiam in poplite aut malleolo venam, reuulsionis ergò, sistere tentabit: plerumque enim menses mouentia, tardiùs agunt quàm oporteat.

APHOR. XXXIII.

Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

Mulieri menstruis deficientibus, sanguis è naribus fluens, bonum.

COMMENT.

Omnis materia, ob suppressam aliquam euacuationem consuetã, redundans & noxia, per alium non incómodum locum prodiens, bono est.

Sanguis è naribus profluens, mulieri menstruorum retentione laboranti, materia est, ob suppressam euacuationem consuetam, redundans & noxia, per locum non incommodum prodiens. Ergo

Sanguis è naribus profluens, mulieri menstruorum

rum retentione laboranti bono est.

APHOR. XXXIV.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι.

Mulieri vtero gerenti si aluus multùm fluat, periculum est ne abortiat.

COMMENT.

Quicquid mulierem grauidam valde fatigat, loca quæ ad vterum laxiora reddit, & alimentum fœtui subtrahit, illud in dicta muliere abortum minatur.

Alui profluuium mulierem grauidam valde fatigat, loca quæ ad vterum, *vicinitatis & consortij lege*, laxiora reddit, & alimentum fœtui subtrahit, *concoctionem omnem lædendo & vnum aliquem, vel plures ex quatuor humoribus, aut chylum etiam non parùm minuendo.*

Ergo

Alui profluuium in dicta muliere abortum minatur.

APHOR. XXXV.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ, ἢ δυστοκούσῃ, πταρμὸς ἐπιγινόμενος, ἀγαθόν.

Mulieri hystericæ, aut difficulter parienti sternutamentum superueniens, bonum.

COMMENT.

Quicquid in propriam sedem pellit vterum.

conuulsum, eiúsque expultricem aut obrutam excitat, aut languentem roborat, ac semimortuas mulierum facultates ad se redire significat: illud præfocatis mulieribus, vt causa & vt signum, difficulter verò parientibus ob debilem vteri expultricem, vt causa tantùm, bono est.

Sternutamentum validum, in propriam sedem pellit vterum conuulsum, eiúsque expultricem aut obrutam excitat, aut languentem roborat, ac semimortuas mulierum facultates ad se redire significat. Ergo

Sternutamentum validum, præfocatis mulieribus superueniens, vt causa & vt signum, difficulter verò parientibus ob debilem vteri expultricem, vt causa tantùm, bono est.

APHOR. XXXVI.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

Mulieri menses decolores, nec eodem semper modo & tempore prodeuntes, purgatione opus esse significant.

COMMENT.

Quæcunque à prauis humoribus pendent, sanguinem vitiantibus, purgationem significant esse necessariam.

Menses decolores, non eodem semper modo, nec tempore prodeuntes, à prauis humoribus pendent, sanguinem vitiantibus. Ergo

Menses decolores, non eodem semper modo,

nec

nec tempore prodeuntes, purgationem significant esse necessariam.

APHOR. XXXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ἢν οἱ μασθοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.

Mulieri vterum ferenti, si mammæ subitò extenuentur, abortus sequitur.

COMMENT.

Quæcunque fœtum alimento destitui significant, abortum portendunt.

Mammæ in muliere grauida repentè extenuatæ, *ob inanitas scilicet venas, mammis & vtero communes*, fœtum alimento destitui significant. Ergo

Mammæ in muliere grauida repentè extenuatæ, abortum portendunt.

APHOR. XXXVIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ἢν ὁ ἕτερος μασθὸς ἰσχνὸς γένηται δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει· καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν, ἢν δὲ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

Mulieri geminos ferenti, si altera mãma extenuetur, alterum abortu edit: & siquidem dextra mamma extenuetur, marem: si verò sinistra, fœminam.

COMMENT.

Quotiescunque penuria sanguinis adest in

in vtero grauidæ mulieris, abortus impendet: & si quidem dextra vteri pars penuria sanguinis laboret, mas, sinistra, fœmina abortu excluditur.

Quoties mulieri geminos ferenti, altera mamma subitò extenuatur, penuria sanguinis adest in vtero grauidæ mulieris: & siquidē dextra mamma extenuetur, dextra vteri pars, si mamma sinistra, sinistra vteri regio penuria sanguinis laborat. Ergo

Quoties mulieri geminos ferenti, altera mamma subitò extenuatur, abortus impendet, & siquidem dextra mamma extenuetur, mas, si sinistra, fœmina abortu excluditur.

Huc pertinent aphor. immediatè hunc præcedens, & 48 huius sect.

Aphor. XXXIX.

Ην γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Si mulier non grauida, nec puerpera, lac habet, ei menstrua defecerunt.

COMMENT.

Omne opus quod in corpore muliebri, præter naturæ legem producitur, ex propria fit illius operis materia, præter naturam detenta.

Lac in muliere non grauida, nec puerpera, est opus quod in corpore muliebri, præter naturæ legem producitur. Ergo

Lac in muliere non grauida, nec puerpera, ex propria

propria fit lactis materia, præter naturam detenta, *nempe ex menstruo sanguine suppresso.*

Quia verò menses suppressi in non grauidis nec puerperis, perraro in mammas regurgitat, ideo lactis generatio in eis, præsertim virginibus, monstro non est absimilis.

APHOR. XL.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει.

Quibuscunque mulieribus ad mãmas sanguis colligitur, furorem significant.

COMMENT.

Quicquid præsto est vt spiritus animales in cerebro accendat, maniam portendit.

Sanguis biliosus, vel atrabilaris, in mammis abundans ac tumorem faciens, præsto est vt *vaporum translatione sursum facta*, spiritus animales in cerebro accendat. Ergo

Sanguis biliosus, vel atrabilaris, in mammis abundans ac tumorem faciens, maniam portendit.

APHOR. XLI.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ, μελίκρητον δίδου πίειν, καὶ ἢν μὲν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει, ἢν δὲ μή, οὐ κύει.

Si scire velis an mulier conceperit, dormituræ aquam mulsam potui dato:

& si ventris tormina patiatur, concepit: sin minùs, non concepit.

COMMENT.

Quicquid arguit intestinum rectum per consensum cum vtero coarctari, & vtriusque retentricem potissimùm vigere, illud mulierem recens concepisse significat.

Mulsa cruda, mulieri cubitum eunti exhibita, præter eius consuetudinem, & absque alia causa manifesta, ventris tormina excitans, arguit intestinum rectum per consensum cum vtero coarctari, & vtriusque retentricem potissimùm vigere, *cùm flatibus exitus consuetus præcludatur.* Ergo

Mulsa cruda, mulieri cubitum eunti exhibita, præter eius consuetudinem, & absque alia causa manifesta, ventris tormina excitans, mulierem recens concepisse significat.

APHOR. XLII.

Γυνὴ ἔγκυος εἰ μὲν ἄῤῥεν κύει, εὔχροος ἐστὶν· ἢν δὲ θῆλυ, δύσχροος.

Mulier grauida si marem gerit, bene colorata est: si fœminam, decolor.

COMMENT.

Quicquid arguit in grauida muliere sanguinis calidioris, vitaliúmque spirituum maiorem copiam, masculi gestationem probabiliter significat: quod verò contrarium ostendit, fœmellam gestari indicio est.

Bonus ac viuidus color grauidę mulieris, arguit in ea

in ea ſanguinis calidioris, vitaliúmque ſpirituum maiorem copiam: eiuſdem verò coloris abſentia, contrarium oſtendit. Ergo

Bonus ac viuidus color grauidæ mulieris, maſculi geſtationem probabiliter ſignificat: eiuſdem vero coloris abſentia, fœmellam geſtari indicio eſt.

Mulier marem gerens cum ſe ipſa gerente fœminam debet comparari, vt aphoriſmus magna ex parte verus comperiatur.

APHOR. XLIII.

Ην γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γίνηται, θανατῶδες.

Si grauidæ mulieri fiat in vtero eryſipelas, lethale.

COMMENT.

Quotieſcunque vterus fœtum continens, corripitur inſigni feruore ac dolore, omnem eius functionē lædentibus, cum acuta febre: tunc ſemper fœtui, ſæpe etiam matri, mors imminet.

Quum in vtero grauidæ mulieris fit eryſipelas, vterus fœtum continens, corripitur inſigni feruore ac dolore, omnem eius functionem lædentibus, cum acuta febre. Ergo

Quum in vtero grauidæ mulieris fit eryſipelas, ſemper fœtui, ſæpe etiam matri mors imminet.

APHOR. XLIV.

Οκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν-

γαστρὶ ἔχουσιν, ἐκτιτρώσκουσι πρὶν ἢ παχυνθῆναι.

Quæ præter naturam tenues vterum gerunt, abortiunt donec habitiores euaserint.

COMMENT.

Quotiescunque mulier debito sibi alimento fraudari pergit, in vteri gestatione abortit, *pereunte fœtu ob inopiam alimenti.*

Quum mulier præter naturam est extenuata, debito sibi alimento fraudari pergit. Ergo

Quum mulier præter naturam est extenuata, in vteri gestatione abortit.

Quare priùs quàm concipiat, ad habitum meliorem ducenda venit.

APHOR. XLV.

Ὁκόσαι δὲ μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιος φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι. καὶ οὐ δύνανται κρατεῖν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἀπορρήγνυνται.

Quæ verò mediocriter corpulentæ abortum faciunt secundo mense, aut tertio, sine occasione manifesta, iis cotyledones lentoris sunt plenæ, nec

præ

præ pondere fœtum continere possunt, sed disrumpuntur.

COMMENT.

Omnis affectus p. n. qui cùm a diuersis causis, per se aut per signa euidentibus, vel a certa etiam causa latente oriri possit, absque vlla manifesta causa contingit: in latentem referri debet.

Abortus mulieribus modicè corpulentis eueniens, secundo mense vel tertio, est affectus p.n. qui cùm à diuersis causis, per se aut per signa euidentibus, vel à certa etiam causa latente oriri possit, cotyledonibus nempe lentore plenis, ac fœtum grandiusculum præ pondere continere nequeuntibus, sæpenumero contingit absque vlla manifesta causa.

Ergo

Abortus mulieribus modicè corpulentis eueniens, secundo mense vel tertio, sępenumero in latentem, cotyledones nempe lentore plenas, ac fœtum grandiusculum præ pondere continere nequeuntes, referri debet.

APHOR. XLVI.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀποπιέζει· καὶ πρὶν ἢ λεπτυνθῶσαι οὐ κύουσιν.

Quæ præter naturam crassæ non con-

cipiunt, iis vteri os ab omento comprimitur: itaque grauidari nequeunt, donec extenuentur.

COMMENT.

Quicquid os vteri comprimendo ipsum ita coarctat, vt virili semini vix pateat ingressus, illud conceptum prohibendo, sterilitatem infert.

Omētum multa pinguedine refertum, in mulieribus præter modum crassis, vteri os comprimendo, ipsum ita coarctat, vt virili semini vix pateat ingressus. Ergo

Omentum multa pinguedine refertum in mulieribus præter modum crassis, conceptum prohibendo, sterilitatem infert.

Huius infœcunditatis curatio, corporis est extenuatio.

APHOR. XLVII.

Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γίνεσθαι.

Si qua parte vterus coxæ adiacet, suppurauerit, emmotis medicamentis curetur necesse est.

COMMENT.

Omne vlcus partis reconditæ, exterius vergens, emmotis medicamentis, hoc est linamentis seu turundis, idoneo medicamento imbutis, curetur necesse est.

Vteri tumor, qua parte vterus coxæ adiacet, supp-

suppuratus & ruptus, vlcus est partis reconditæ, exteriùs vergens. Ergo

Vteri tumor, qua parte vterus coxæ adiacet, suppuratus & ruptus, emmotis medicamentis, hoc est linamentis seu turundis, idoneo medicamento imbutis, curetur necesse est.

APHOR. XLVIII.

Εμβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Fœtus, mares quidem in dextra vteri parte, fœminæ in sinistra potiùs.

COMMENT.

Omnes fœtus naturâ calidiores in dextra vteri parte, ceu calidiore, frigidiores in sinistra vt minùs calida, seminique fœmineo frigidiori dicata, sæpiùs concipiuntur.

Masculi sunt fœtus naturâ calidiores, fœmellæ verò frigidiores. Ergo

Masculi in dextra vteri parte, ceu calidiore, fœmellæ in sinistra vt minùs calida, seminique fœmineo frigidiori dicata, sæpiùs concipiuntur.

APHOR. XLIX.

Ες ὑστέρων ἐκπλώσιας πταρμικὸν ἐπιθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα.

Ad secundas deturbandas, sternutatorio immisso, nares & os manu obtura.

COMMENT.

Quicquid partes agitat quæ ad vterum, eiúsque fundum vi magna deorsum comprimit illud maximè conducit ad secundas retentas deturbandas, pellendáque extra vterum λόχεια.

Sternutatio valida, quæ arte fit, sternutatorio immisso, & ore naribúsque manu obturatis, partes agitat quæ ad vterum, eiúsque fundum vi magna deorsum comprimit. Ergo

Sternutatio valida, quæ arte fit, sternutatorio immisso, & ore naribúsque manu obturatis, maximè conducit ad secundas retentas deturbandas pellendáque extra vterum λόχεια.

APHOR. L.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλε.

Mulieri si velis menstrua sistere, cucurbitulã quàm maximam ad mammas appone.

COMMENT.

Quicquid sanguini motum indit contrarium ei qui est ad vterum, menses immodicè fluentes sistit.

Cucurbitula quàm maxima, subter vtramque mammam affixa, sanguini motum indit contrarium ei qui est ad vterum. Ergo

Cucurbitula quàm maxima, subter vtramque mam-

mammam affixa, menses immodicè fluentes sistit.

APHOR. LI.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τουτέων τὸ στόμα τῶν ὑστερέων συμμέμυκεν.

Quæ fœtum gerunt, iis vteri os conniuet.

COMMENT.

Quotiescunque vterus bene constitutus, in id totus incumbit, quod ipsius retentrice maximè indiget, tunc os vteri, ex naturæ lege, citra vllam duritiem, exactè arctatur & conniuet.

Quum mulier concepit, vterus bene constitutus, in id totus incumbit, quod ipsius retentrice maximè indiget. Ergo

Quum mulier concepit, os vteri, ex naturæ lege, citra vllam duritiem, exactè arctatur & conniuet.

In superfœtatione, quæ raro & præter naturæ consuetudinem contingit, vteri os aliquantulùm hiare necesse est.

APHOR. LII.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει· ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μαστοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

Grauidæ mulieri si lac è mammis co-

piosè fluat, fœtum imbecillum significat: si verò solidæ mammæ fuerint, validiorem fœtum indicant.

COMMENT.

Quæcunque indicant fœtum in vtero parcè nuttiri, fœtus imbecillitatem: contrà, quę bene ali fœtum denotant, bonam eius valetudinem ostendunt.

Mammæ prægnantis mulieris, ita turgentes, vt lac ex eis copiosè fluat, indicant fœtum in vtero parcè nutriri: eædem verò firmæ solidæque, *hoc est inter duras & laxas media*. bene ali fœtum denotant. Ergo

Mammæ prægnantis mulieris, ita turgentes, vt lac ex eis copiosè fluat, fœtus imbecillitatem: eædem verò firmæ solidæque, bonam eius valetudinem ostendunt.

APHOR. LIII.

Ὁκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα, ταύτῃσιν οἱ τιτθοὶ ἰσχνοὶ γίνονται· ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γίνωνται, ὀδύνη ἔσται ἢ ἐν τοῖσι τιτθοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐ διαφθείρουσιν.

Quæ fœtum sunt perdituræ, iis mammæ extenuantur: contrà verò duræ si fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit, nec abortiét.

COM.

COMMENT.

Quotiescunque vterus arduum opus molitur, vel vnà etiam cōflictatur & natura magnam, vt solet, sanguinis spirituúmque vitalium copiam affatim, auxilij titulo, ad eum transmittit, præsertim à mammis cum vtero maximum consensum habentibus, necessariò mammæ extenuantur: quòd si vterus, ceu validus, noxios omnes humores à se repellat, tunc illi varias partes vtero imbecilliores, mammas puta, coxas, oculos, aut genua fatigabunt, vterus autem noxam omnem superando bene habebit, nec fœtum gestans abortiet.

Quotiescunque prægnantes mulieres fœtum sunt perdituræ, vterus arduum opus molitur, vel vnà etiam conflictatur, & natura magnam, vt solet, sanguinis spirituúmque vitalium copiam affatim, auxilij titulo, ad eum transmittit, præsertim à mammis cum vtero maximum consensum habentibus: quòd si mammæ præ humorum copia duræ fiant, vterus, ceu validus, vt plurimùm, noxios omnes humores à se repellit. Ergo

Quoties prægnantes mulieres fœtum sunt perdituræ, necessariò mammæ extenuantur: quòd si eædem præ humorum copia duræ fiant tunc illi varias partes vtero imbecilliores, mammas puta, coxas, oculos, aut genua fatigabunt, vterus autem vt plurimùm, noxam omnem superando bene habebit, nec abortus continget.

APHOR. LIV.

Οκόσῃσι τὸ σόμα τῶν ὑστερέων σκληρὸν ἔσι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ σόμα τῶν ὑστερέων ξυμμύειν.

Quibus os vteri durum est, iis arctetur necesse est.

COMMENT.

Quotiescunque orificium visceris sinu donati, inflammatione, aut scirrho afficitur, coarctari necesse est.

Quoties orificium vteri est durum, inflammatione, aut scirrho afficitur. Ergo

Quoties orificium vteri est durum, coarctari necesse est.

APHOR. LV.

Οκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνονται ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσιν.

Quæ gestantes vterum febribus corripiuntur, & vehementer citra manifestam causam extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

Quæcunque grauidam mulierem extenuant, nulla etiam concurrente causa procatarcti-

ca,

ca, magnámque in toto & vtero ſiccitatem inducentia, matrem cum fœtu inſigniter debilitant: illa, vel difficilem partum, vel abortum periculi plenum inferunt.

Febres vehementes aut diuturnæ, grauidam mulierem extenuant, nulla etiam concurrente cauſa procatarctica, magnámque in toto & vtero ſiccitatem inducentes, matrem cum fœtu inſigniter debilitant. Ergo

Febres huiuſmodi vehementes aut diuturnæ, vel difficilem partum, vel abortum periculi plenum inferunt.

APHOR. LVI.

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

Si muliebri profluuio conuulſio, & animi deliquium ſuperueniant, malum.

COMMENT.

Quæcunque ſymptomata immodicæ vacuationi ſuperuenientia, inſignem arguunt totius, & neruoſi generis ſiccitatem, ſpirituúmque reſolutionem: mala ſunt, & non rarò lethalia.

Conuulſio & leipothymia à profluuio muliebri, ſymptomata ſunt quæ immodicæ vacuationi ſuperuenientia, inſignem arguunt totius, & neruoſi generis ſiccitatem, ſpirituúmque reſolutionem. Ergo

Conuulſio & leipothymia à profluuio muliebri, mala ſunt, & non rarò lethalia.

APHOR. LVII.

Καταμηνίων γινομένων πλειόνων, νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστέρης, ξυμβαίνουσι νοῦσοι.

Menſtruis abundantibus morbi eueniunt, & ceſſantibus ab vtero, accidunt morbi.

COMMENT.

Quæcunque trudunt corpus muliebre in magnum receſſum à naturali ſtatu, multorum morborum muliebrium ſunt cauſa.

Menſes immodicè fluentes, aut ſuppreſſi, trudunt corpus muliebre in magnum receſſum à naturali ſtatu. Ergo

Menſes immodicè fluentes, aut ſuppreſſi, multorum morborum muliebrium ſunt cauſa.

APHOR. LVIII.

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ στραγγουρίη ἐπιγίνεται, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι στραγγουρίη ἐπιγίνεται. ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι λὺγξ ἐπιγίνεται.

Ad recti inteſtini & vteri inflammationem, purulentóſque renes accedit ſtranguria: iecore verò inflammatione laborante interuenit ſingultus.

COMMENT.

Quicquid retentricem vesicæ facultatem labefactat, eiúsque expultricem irritat & impedit, stranguriam facit. Quicquid autem ventriculum validè exsiccat, comprimit, vel mordicat, singultum mouet.

Recti intestini, vel vteri inflammatio aucta, vesicæ retentricem labefactat, expultricémque irritat *per calidam intemperiem*, eandémque *tumoris magnitudine vesica meatum angustando* impedit: renes item purulenti, *dum scilicet pus in vesicam demissum, & acrimonia irritat, & crassitie obstruit*, idem præstant. Iecoris autem inflammatio aucta, vicinum ventriculum validè exsiccat, comprimit, vel *bile in ipsum transmissa*, mordicat. Ergo

Recti intestini, vel vteri inflammatio aucta, renes item purulenti, stranguriam faciunt. Iecoris autem inflammatio singultum mouet.

APHOR. LIX.

Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι θυμία κάτω· κἢν μὲν πορεύεσθαί σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι' ἑαυτὴν ἄγονός ἐστιν.

Si mulier non concipit, & scire vis an sit conceptura, pannis circumtectam subter suffito: ac si odor corpus perua-

dere videatur ad nares & os vſque, non ſuâ culpâ ſterilem eſſe ſcito.

COMMENT.

Quicquid ſignificat vterum mollem & bene conſtitutum, nuptæque mulieris vniuerſum corpus eſſe perſpirabile, nec admodum intemperatum, indicio eſt mulierem non ſuâ culpâ ſterilem eſſe.

Suffitus per vterum, muliere præcincta, panníſque circumtecta, corpus vteri peruadens, & odore ſuo ad nares & os perueniens, ſignificat vterum mollem & bene conſtitutum, nuptæque mulieris vniuerſum corpus eſſe perſpirabile, nec admodum intemperatum.

Ergo

Suffitus per vterum, muliere præcincta, &c. ad nares & ós vſque perueniens, indicio eſt mulierem non ſuâ culpâ ſterilem eſſe.

APHOR. LX.

Ην γυναικὶ ἐν γαςρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύονται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.

Si prægnanti mulieri purgationes menſtruæ curſum ſuum teneant, bene valere fœtum eſt impoſſibile.

COMMENT.

Quotieſcunque fœtui ſubtrahitur alimentum, malè habere fœtum neceſſe eſt.

Quoties prægnanti mulieri purgationes menſtruæ

ſtruæ curſum ſuum tenent, fœtui ſubtrahitur alimentum. Ergo

Quoties prægnanti mulieri purgationes menſtruæ curſum ſuum tenent, malè habere fœtum neceſſe eſt.

APHOR. LXI.

Ην γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύονται, μή τε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου, ἄσαι δ' αὐτῇ προσαπίπτωσιν, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre ſuperueniente, cibique faſtidium accidat, prægnantem eſſe putato.

COMMENT.

Quotieſcunque occurrit naturalis cuiuſpiam vacuationis retentio, varias habens cauſas preternaturales, nullum tunc ſui ſignum prodentes, vnámque naturalem, aliquo ſigno valde probabili confirmatam: tunc illa retentio in cauſam eam naturalem referri debet.

Quoties in muliere florentis ætatis ſupprimuntur menſes, abſque horrore, febri, alióve huiuſmodi ſigno, & cibi faſtidium adeſt: tunc occurrit naturalis vacuationis retentio, varias habens cauſas præternaturales, nullum ſui ſignum prodentes, vnámque naturalem in vtero nempe conceptum, ſigno valde probabili, nempe cibi faſtidio, confirmatam: Ergo

Quoties in muliere florentis ętatis supprimuntur menses, absque horrore, febri, alióve huiusmodi signo, & cibi fastidium adest: illa retentio in causam naturalem, conceptum scilicet, referri debet.

APHOR. LXII.

Ὀκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσι, οὐ κυΐσκουσι· καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκουσιν, ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος. καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαέες. ἐνδείῃ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται.

Quæcunque frigidos ac densos vteros habent, non concipiunt, & quæ præhumidos habent, grauidari nequeunt, extinguitur enim in ipsis genitura: & quæ sicciores & æstuosos, nam alimenti defectu semen corrumpitur. Quæ verò ex vtrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.

COMMENT.

Quotiescunque semen maris in vtero non fouetur vti conuenit, vel cotyledonibus præarctatis non adhæret, mulieris culpâ conceptus prohibetur, vnde sterilitas: quoties verò vterus dicto semini vtrumque præstat, conce-

ptus à

ptus à muliere promouetur, vnde fœcunditas.

Quoties vterus est densior, *insitos viriliſ ſemini ſpiritus ſuffocans, & cotyledones anguſtans*, vel rarior, *ſpiritus eoſdem diſsipans*, vel quomodocunque valde intemperatus, *bonam ſeminis temperiem deſtruens*: tunc semen maris in vtero non fouetur vti conuenit, vel cotyledonibus præarctatis non adhæret: quoties verò vterus inter hæc extrema est medius, eorum vtrumque dicto semini præstat. Ergo

Quoties vterus est densior, vel rarior, vel quomodocunqne valde intemperatus, mulieris culpâ conceptus prohibetur, vnde sterilitas: quoties verò vterus inter hæc extrema est medius, conceptus à muliere promouetur, vnde fœcunditas.

APHOR. LXIII.

Παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀῤῥένων· ἢ γὰρ δι' ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα, ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέει ἔξω, ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυρεῖαται, ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον, ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

Similiter autem & in maribus: aut enim propter corporis raritatem spiritus foras dissipatur, ita vt genituram eiacu-

lari nequeat: aut propter densitatem humor foras non prosilit, aut propter frigiditatem non inceditur, vt eo loci coaceruari possit: aut propter caliditatem hoc idem accidit.

COMMENT.

Quotiescunque semen maris ineptum est vt ad vteri fundum perueniat, vel ibi extendatur vt par est, infœcunditatis culpa in marem est reiicienda.

Quum testes maris densi sunt, rari, impensè frigidi aut calidi, *ob quas causas semen, vel minimâ copiâ prodit à testibus, vel spiritu ferè destituitur, vel est crassum & exsuccum*: tunc semen maris ineptum est vt ad vteri fundum perueniat, vel ibi extendatur vt par est. Ergo

Quum testes maris densi sunt, rari, impensè frigidi aut calidi, infœcunditatis culpa in marem est reiicienda.

APHOR. LXIV.

Γαλα διδόναι κεφαλαλγέουσι, κακόν· κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβοείζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι,

δεσι, μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι, καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος, παρὰ λόγον ἢ ἐκτετηκόσι.

Lac præbere capite dolentibus, febriculosis, & quibus hypochondria elata aut murmurãtia, & siticulosis, malũ: malũ itẽ quibus biliosæ deiectiones, febres acutæ, & copiosa sanguinis vacuatio facta est. Conuenit verò tabidis non admodum valde febricitantibus, & febribus longis ac paruis, si nullum ex suprà dictis signis adsit, & præter rationem extenuatis.

COMMENT.

Quicquid vaporosum est ac flatulentum, & sicut ab insigni calore, multáve bile nidorem contrahit, & corrumpitur, sic ab exiguo calore naturali acescit, est autem εὔχυμον, εὔπεπτον, καὶ διαχώρητον, humectans ac tergens: illud capite dolentibus, hypochondria elata, vel murmurantia habentibus, febriculosis item, siticulosis, biliosa deiicientibus, febre acuta correptis, & quibus propter hæmorrhagiam pusillus est calor, malo est: phthisicis verò parum febricitantibus, & reliquis valde extenuatis aut febre longa lentáque detentis, conuenit.

Lac in se habet prædictas omnes proprietates,
Ergo
Lac capite dolentibus, hypocondria elata vel murmurantia habentibus, siticulosis, &c. malo est. Phthisicis verò parum febricitantibus &c. conuenit.

Aphor. LXV.

Ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται· τουτέων δ' ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι, τοῖσι δ' ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη, ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Quibus tumores in vlceribus apparent, ij non admodum conuelluntur, nec insaniunt: quibus verò repentè euanuerint, siquidem à tergo, conuulsiones & tetani accidunt: si verò à fronte, insania, lateris dolor acutus, empyema, & dysenteria, si rubicundi fuerint tumores.

COMMENT.

Quotiescunque humores noxij ad externam aliquam corporis regionem attrahuntur, vel etiam pelluntur, conuulsionis, vt plurimùm, aut insaniæ periculum abest: quum verò iidem rursus intrò rapiuntur, pro diuersitate humo-

humorum,& partium quas inuadunt, varios excitant affectus.

Quoties cum vlceribus externis tumores sunt conspicui,tūc humores noxij ad externā aliquā corporis regionē attrahuntur,vel etiam pelluntur:quum autem repentè tumores euanescūnt, rursus iidem humores intrò rapiuntur. Ergo

Quoties cum vlceribus externis tumores sunt conspicui,conuulsionis,vt plurimùm,aut insaniæ periculum abest : quum autem repentè tumores euanescunt, pro diuersitate humorum,& partium quas inuadunt,varios excitant affectus:*nam si postica parte id fiat,quia neruosa est, conuulsiones ac tetani sæpenumerò accidunt:si anticâ, & materia biliosa existens, cerebrum petat,insania fit:si thoracem, pleuritis,eâ verò non repurgatâ,empyema : si denique in abdomen feratur,fueritque sanguinea,(quod ex rubicundo tumore pragresso colligitur) dysenteria ei correspondens generatur.*

APHOR. LXVI.

Ην τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνεται , μέγα κακόν.

Si magnis vulneribus & prauis tumor non appareat,ingens malum.

COMMENT.

Quoties validis existentibus causis,redundantes humores affatim ad cutem trahentibus,

illi, *ob imbecillitatem viscerum, calorisque natiui defectum*, non affluunt quò trahuntur: ingens est malum.

Quum in externa corporis parte magnum est vulnus, aut prauum, *siue simpliciter ac per se, siue ratione loci affecti*, absque vllo tumore: tunc, validis existentibus causis redundantes humores affatim ad cutem trahentibus, illi non affluunt quò trahuntur. Ergo

Quum in externa corporis parte magnum est vulnus, aut quocũque modo prauum, absque vllo tumore: ingens est malum.

APHOR. LXVII.

Τὰ χαῦνα χρηστὰ, τὰ ὠμὰ, κακά.

Mollia bona, dura verò mala.

COMMENT.

Quicquid arguit coctionem materiæ tumorem facientis, bonum est: & quicquid eiusdem cruditatem significat, malum.

Mollities arguit coctionem materiæ tumorem facientis, durities verò & renitentia, cruditatem. Ergo

Mollities tumoris bona, durities verò mala.

APHOR. LXVIII.

Τῶν ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένων, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει.

Posteriore capitis parte dolenti, recta in fronte vena incisa, prodest.

COM-

COMMENT.

Quicquid aufert doloris causam, parti dolenti prodest.

Sectio venæ in media fronte, quum dolet occipitium per consensum ab hepate, *sanguine copiosiore ad capitis postica ascendente*, post totius euacuationem vt par est, administrata, doloris causam aufert, *deriuatione sanguinis à iugularium binis, & reuulsione secundariò facta à capitis parte postica ad anticam.* Ergo

Sectio venæ in media fronte, quum dolet occipitium per consensum ab hepate, post totius euacuationem vt par est, administrata, parti dolenti prodest.

APHOR. LXIX.

Ῥίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν· ἀνδράσι δὲ μᾶλλον ὄπισθεν ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος, οἷον ἀπό τε πηχέων καὶ μηρῶν· ἄτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν· δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

Rigores incipiunt mulieribus ex lūbis magis, & per dorsum ad caput: sed & viris parte corporis posteriore magis quàm anteriore, veluti ex femoribus & cubitis: indicio est cutis raritas, quam pilus ostendit.

COMMENT.

Quæcunque causa functionem tactricis facul-

tatis corporis partium lædit, easdémque violenter concutit, illa solet prius afficere partes magis neruosas, vt sunt in mulieribus lumbi, *non solùm neruis abundantes per se, sed etiam ob vteri ligamenta ipsis implantata, quorum ratione cum vtero plerumque frigidiore consentiunt*, post lumbos, dorsum, caput, & partes extremas :. in viris autem posteriores partes magis inuadit, vt neruosas & anterioribus frigidiores, extremas item à caloris fonte remotiores, vt crura, & brachia.

Quælibet materia rigorem, frigus, aut horrorem faciens per se, non ratione vlceris, causa est functionem lædens tactricis facultatis corporis partium, easdémque violenter concutiens. Ergo

Quælibet materia rigorem, frigus, aut horrorem faciens per se, non ratione vlceris, in mulieribus solet afficere prius lumbos, postcà dorsum, caput, & extrema: in viris autem posteriores partes magis inuadit, vt neruosas & anterioribus frigidiores, *quemadmodum ex raritate apparet, & pilis anteriorum caliditatem designantibus*, extremas item à caloris fonte remotiores, vt crura, & brachia.

APHOR. LXX.

Οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ ὐ πάνυ τι ἁλίσκονται· ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταίως παύονται.

Qui

Qui quartana corripiuntur, non admodum conuulsionibus tentantur: si verò priùs tentati fuerint, superueniente quartana liberantur.

COMMENT.

Quicquid humoris crassi & pituitosi coctionem, eiusdémque excretionem iuuare pergit, illud conuulsionem a repletione imminentem arcet, præsentem soluit.

Febris quartana, humoris crassi & pituitosi coctionem, *calore suo miti ac diuturno*, eiusdemque excretionem, *horrore excitato*, iuuare pergit. Ergo

Febris quartana, conuulsionem à repletione imminentem arcet, præsentem soluit.

APHOR. LXXI.

Ὁκόσοισι δέρματα περιτείνεται καρφαλέα καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρῶτος τελευτῶσιν· ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιὰ, ξὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

Quibus arida & dura cutis obtenditur, sine sudore moriuntur: quibus verò laxa & rara, cum sudore vita defunguntur.

COMMENT.

Quicunque angustos adeò occlusósque habent cutis meatus, vt per sanitatem & valida exercitia vix sudent: illi, in maxima retentricis omnium partium imbecillitate, caloris que

natiui & humidi primigenij resolutione, sine sudore pereunt: qui verò ita latos apertósque habent dictos meatus, vt dum per sanitatem validè exercentur, sudore quasi diffluant, illi, in dicta imbecillitate, & resolutione, cum sudore moriuntur.

Quibus arida & dura cutis obtenditur, illi angustos adeò occlusósque habent cutis meatus, vt per sanitatem validáque exercitia vix sudent: quibus verò laxa & rara est cutis, iidem ita latos apertósque habent dictos meatus, vt dum per sanitatem validè exercentur, sudore quasi diffluant. Ergo

Quibus arida & dura cutis obtenditur, illi, in maxima retentricis omnium partium imbecillitate, calorísque natiui & humidi primigenij resolutione, sine sudore pereunt: quibus verò laxa & rara est cutis, illi, in dicta imbecillitate & resolutione, cum sudore moriuntur.

Aphor. LXXII.

Οἱ ἰκτερώδεες οὐ πάνυ τι πνευματώδεες εἰσιν.

Auriginosi non admodum ventosi.

COMMENT.

Quicunque calido sunt temperamento & bile abundant, vix de flatibus conqueruntur.

Ictерici

Ictérici calido ſunt temperamento, & bile abundant. Ergo

Ictérici vix de flatibus conqueruntur.

QVINTÆ SECTIONIS

FINIS.

PAVLI OFFREDI MEDICI,

IN SEXTAM HIPpocratis Aphorismorum sectionem,

Commentaria Aphoristica, ad methodum analyticam redacta.

Argumentum sectionis.

PERGIT *in variis morborum generibus signa docere salubria, insalubria*, aut *lethalia: quædam etiam chirurgica dogmata exponit.*

APHOR.

APHOR. I.

Εν τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγινομένη μὴ γινομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

In diuturnis intestinorum læuitatibus, si ructus acidus superueniat qui priùs non extiterit, bonum est signum.

COMMENT.

Quicquid significat concoctricem, retentricemque ventriculi & intestinorum facultates, iamdudum velut otiosas & languentes, ad proprium munus excitari, bonum est signum.

Ructus acidus, diuturnæ leienteriæ superueniens, qui priùs non extiterit, *cùm aliquod saltem paulo melioris concoctionis initium præ se ferat*, significat concoctricem, retentricemque ventriculi & intestinorum facultates, iamdudum velut otiosas & languentes, ad proprium munus excitari. Ergo

Ructus acidùs, diuturnæ leienteriæ superueniens, qui priùs non extiterit bonum est signum.

APHOR. II.

Οἷσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι νοσηρότερον· οἷσι δὲ τἀναντία, ὑγιεινότερον.

Quibus nares naturâ humidiores, & genitura humidior, ij minùs prospera.

valetudine fruuntur : quibus verò contraria, ſalubriùs degunt.

COMMENT.

Quicunque deſtillationibus à capite, variíſque morbis, præſertim ab humorum putredine oriundis ſunt obnoxij, inſalubriter degunt: qui verò ſunt ab iis incommodis immunes, ſalubriùs.

Quibus nares naturâ ſunt humidiores, & genitura humidior, illi deſtillationibus à capite, variíſque morbis, præſertim ab humorum putredine oriundis, ſunt obnoxij: qui verò ſicciore ſunt cerebri, ac totius temperamento, ab iis incommodis ſunt immunes. Ergo

Quibus nares naturâ ſunt humidiores, & genitura humidior, illi inſalubriter degunt: qui verò ſicciore ſunt cerebri, ac totius temperamento, ſalubriùs.

APHOR. III.

Ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι, κακὸν, καὶ ξὺν πυρετῷ κάκιον.

In longis inteſtinorum difficultatibus, cibi faſtidium, malum, & cum febre peius.

COMMENT.

Quicquid naturales facultates arguit quaſi emortuas, malum eſt: & quod accedit, putredinem, vel etiam inflammationem denotans, peius.

Cibi,

Cibi fastidium in diuturnis dysenteriis, naturales facultates arguit quasi emortuas: febris verò accedens, putredinem, vel etiam inflammationem denotat. Ergo

Cibi fastidium in diuturnis dysenteriis, malum est: & cum febre, peius.

APHOR. IV.

Τὰ περιμάδηρα ἕλκεα, κακοήθεα.

Circumglabra vlcera, maligna.

COMMENT.

Quotiescunque signum adest praui alicuius humoris, ad vlceratas partes fluentis, vel in eis congesti, vlcera sunt maligna.

Quoties vlceratæ partes glabræ fiunt, signum adest praui alicuius humoris, ad eas fluentis, vel in eis congesti, *qui scilicet vi erodente pilos deuastat*. Ergo

Quoties vlceratæ partes glabræ fiunt, vlcera sunt maligna.

APHOR. V.

Τῶν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν, ἢν μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον.

Inter dolores lateris, & pectoris, cæterarúmque partium, an multùm intersit, discendum est.

COMMENT.

Quicquid ad dignotionem, πρόγνωσιν, & curationem morborum maximè conducit, medi-

co est pernecessarium.

Exacta cognitio differentiarum omnium dolorum, ad dignotionem, διάγνωσιν, & curationem morborum maximè conducit. Ergo

Exacta cognitio differentiarum omnium dolorum, medico est pernecessaria.

APHOR. VI.

Τὰ νεφριτικὰ, καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.

Renum & vesicæ vitia in senibus difficulter curantur.

COMMENT.

Omnes affectus præter naturam, in locis acria excrementa iugiter excipientibus, eísque transitum præbentibus, difficulter curantur, præsertim cùm loci affecti fuerint imbecilliores, vt in senibus.

Omnia renum & vesicæ vitia, sunt affectus p.n. in locis acria excrementa iugiter excipientibus, eísque transitum præbentibus. Ergo

Omnia renum & vesicæ vitia difficulter curantur, præsertim cùm loci affecti fuerint imbecilliores, vt in senibus.

APHOR. VII.

Τὰ ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα· τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα.

Dolores

Dolores ventris sublimes, leuiores: non sublimes, fortiores.

COMMENT.

Omnes affectus reconditi, ac præcipuis visceribus proximi, sunt periculosi, & curatu difficiles: qui verò exteriùs vergunt, minùs periculosi, & curatu faciliores.

Abdominis dolores ac tumores intra peritonæum, sunt affectus reconditi, ac præcipuis visceribus proximi: qui verò extra peritonæum, exteriùs vergunt. Ergo

Abdominis dolores ac tumores intra peritonæum, sunt periculosi, & curatu difficiles: qui verò exteriùs vergunt, minùs periculosi, & curatu faciliores.

APHOR. VIII.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται.

Aqua inter cutem laborantibus, vlcera in corpore facta, non facilè sanantur.

COMMENT.

Quicunque sunt valde cacochymi, & naturales facultates languidas habent, in illis vlcera difficulter sanantur.

Hydropici sunt valde cacochymi, & naturales facultates languidas habent. Ergo

In hydropicis vlcera difficulter sanantur.

APHOR. IX.

Τὰ πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα.

Latæ puſtulæ non admodum prurigi-noſæ.

COMMENT.

Quæcunque puſtulæ ab humore fiunt minùs calido, & per ampliorem locum tranſpirante, ſunt minùs pruriginoſæ.

Latæ puſtulæ ab humore fiunt minùs calido, & per ampliorem locum tranſpirante. Ergo

Latæ puſtulæ ſunt minùs pruriginoſæ.

APHOR. X.

Κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πύον ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νούσημα.

Capite dolenti & vehementer laboranti, pus, aut aqua, aut ſanguis, per nares, vel os, vel aures effluens, morbum ſoluit.

COMMENT.

Omnis cauſa dolorem faciens, quum criticè euacuatur, dolorem ſoluit.

Materia purulenta, aquea, vel ſanguinea, vehementem capitis dolorem intrà cranium faciens, quum per aures, os, vel nares effluit, criticè euacuatur. Ergo

Materia

Materia purulenta,aquea,vel ſanguinea, vehementem capitis dolorem intra cranium facie: s quum per aures, os, vel nares effluit, dolorem ſoluit.

APHOR. XI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι, καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι, αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſuperuenientes,bonum.

COMMENT.

Quibuſcunque ſanguis,vel fæculentus in toto, capite,aut hypochondriis,vel aqueus aliúſve in liene,aut renibus abundat, his euacuatio per hæmorrhoidas, internas, *à liene manantes*,vel externas,*à renibus*,bono eſt.

Melancholicis aut nephriticis ſanguis, vel fæculentus in toto,apite, aut hypochondriis, vel aqueus aliúſve in liene,aut renibus abundat. Ergo

Melancholicis aut nephriricis euacuatio per hæmorrhoidas, internas vel externas, bono eſt.

APHOR. XII.

Αἱμοῤῥοΐδας, ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

Diuturnas curanti hæmorrhoidas, niſi

vna quæpiam ſeruetur, periculum aquæ inter cutem, vel tabis impendet.

COMMENT.

Nulla euacuatio diuturnior & moleſta, hominem à certis morbis liberans, detractione ſcilicet ſanguinis, à quo vel aſcites, vel phthiſis oriri poſſet, eſt ſubitò in totum ſupprimenda, alioquin prædicti morbi impendent: *intellige, niſi aut alio vacuationis genere, aut exacta victus ratione occurratur.*

Exitus ſanguinis per hæmorrhoidas, ad multos dies perſeuerans, euacuatio eſt diuturnior & moleſta, hominem à certis morbis liberans, detractione ſcilicet ſanguinis, à quo vel aſcites, *hepatis calore ſuffocato*, vel phthiſis, *plenitudine in pulmonis venas protruſa*, oriri poſſet.

Ergo

Exitus ſanguinis per hæmorrhoidas, ad multos dies perſeuerans, non eſt ſubitò in totum ſupprimendus, alioquin prædicti morbi, nempe aſcites, aut phthiſis, impendent.

Quamobrem in curando ſanguinis per hæmorrhoidas fluxu, vna quæpiam earum, authoris conſilio, aperta ſeruari debet.

APHOR. XIII.

Ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν.

Singultu fatigante, ſternutationes ſuperuenientes, ſingultum ſoluunt.

COM-

COMMENT.

Quęcunque materiam ori vētriculi impactam, valenter commouent & excutiunt, singultum, à repletione soluunt.

Sternutationes materiam ori ventriculi impactam, valenter commouent & excutiunt.

Ergo

Sternutationes singultum à repletione soluunt.

APHOR. XIV.

Ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ, κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

Hydrope detento, si aqua è venis in ventrem confluxerit, soluitur morbus.

COMMENT.

Quotiescunque materia morbum faciens, per locos decentes euacuatur, morbi fit solutio.

Quum in anasarca, *quod rarò*, aut ascite, *quod rarissimè*, pituita vel aqua ad intestina confluit, materia morbum faciens, per locos decentes euacuatur. Ergo

Quum in anasarca, aut ascite, pituita vel aqua ad intestina confluit, morbi fit solutio.

APHOR. XV.

Ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταὐτομάτου ἔμετος ἐπιγινόμενος, λύει τὴν διάῤῥοιην,

Longo alui profluuio laboranti spon-

te vomitus superueniens, morbum soluit.

COMMENT.

Quicquid humores immodicè per alnū fluentes cohibet, facultati eos expellenti propensionem ihdens contrariam, illud morbum soluit.

Vomitus longo alui profluuio laboranti sponte superueniens, humores immodicè per aluum fluentes cohibet, facultati eos expellenti propensionem indens contrariam. Ergo

Vomitus longo alui profluuio laboranti sponte superueniens, morbum soluit.

APHOR. XVI.

Ὑπὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διάῤῥοια ἐπιγινομένη, κακόν.

Pleuritide aut peripneumonia detento, diarrhœa interueniens, malum.

COMMENT.

Quotiescunque à morbo vitales partes infestante, hepar in consensum trahitur, malum.

Quum diarrhœa vehemens pleuritide, aut peripneumonia laboranti superuenit, absque alia causa manifesta, tunc à morbo vitales partes infestante, hepar in consensum trahitur. Ergo

Quum diarrhœa vehemens pleuritide, aut peripneumonia laboranti superuenit, absque alia causa manifesta, malum.

APHOR.

APHOR. XVII.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν.

Ophthalmia laborantem alui profluuio corripi, bonum.

COMMENT.

Omnis euacuatio quæ humores ab inflammata parte reuellit, & à mandante deriuat, bona est.

Alui profluuium in ophthalmia, est euacuatio quę humores ab inflãmata parte reuellit, & à mandante, *hepate nimirum ac Venis canis*, deriuat, *ad portas & intestina*. Ergo

Alui profluuium in ophthalmia, bonum.

APHOR. XVIII.

Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

Perfecta vesica, aut cerebro, aut corde, aut septo transuerso, aut tenui quopiam intestino, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.

COMMENT.

Omne magnum vnitatis diuortium in præcipuo viscere, aut in parte membranosa & exangui, quæque ad vitam conseruandam perpetuò mouetur, vel alimenta excrementáve necessariò recipit, est insanabile, & plerumque lethale.

Omne vulnus profundum aut latum, in corde, cerebro, aut hepate, vel in diaphragmate, ventriculo, tenuibus intestinis, aut vesica, est magnum vnitatis diuortium in præcipuo viscere, aut in parte membranosa & exangui, quæque ad vitam conseruandam perpetuò mouetur, vel alimenta excrementáve necessariò recipit. Ergo

Omne vulnus profundum aut latum, in corde, cerebro, aut hepate, vel in diaphragmate, vẽtriculo, tenuibus intestinis, aut vesica, est insanabile, & plerumque lethale.

Aphor. XIX.

Ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε συμφύεται.

Perfectum os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coalescit.

COMMENT.

Nullæ partes seminales, quarum vnitas est planè soluta, coalescunt, nec earum portio deperdita, in adultis præsertim, regeneratur, *ob defectum in primis idoneæ materiæ.*

Os, cartilago, neruus, aliæque huiusmodi partes, perfectæ, seminales sunt, earúmque vnitas est planè soluta. Ergo

Dictæ partes, aliæque huiusmodi perfectæ non coalescunt, nec earum portio deperdita, in adultis præsertim, regeneratur.

Aphor.

APHOR. XX.

Ην ἐς τὴν κοιλίην αἷμα ἐκχυθῆ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, eum suppurari est necesse.

COMMENT.

Omnis materia in alieno loco detenta, & calore proprio destituta, necessariò corrumpitur.

Sanguis venas egressus, in quamcunque corporis regionem exciderit, materia est in alieno loco detenta, & calore proprio destituta.

Ergo

Sanguis venas egressus, in quamcunque corporis regionem exciderit, necessariò corrumpitur.

APHOR. XXI.

Τοῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐπιγινομένων, τῆς μανίης λύσις.

Insanis si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.

COMMENT.

Quotiescunque materia symptoma aliquod in capite, putà delirium, efficiens, ad crura vel ad sedem reuellitur, delirij fit solutio.

Quum in affectu melancholico varices, vel hæmorrhoides superueniunt, materia delirium in capite efficiens, ad crura vel ad sedem

maxima parte reuellitur. Ergo

Quum in affectu melancholico varices, vel hæmorrhoides superueniunt, delirij maxima parte fit solutio.

APHOR. XXII.

Ὁκόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου ἐς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνει, φλεβοτομίη λύει.

Ruptiones quæ ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit.

COMMENT.

Quotiescunque materia dolorem faciens, ad partémque aliam dolenti proximam, & vacuationi congruentem vergens, per eam partem euacuatur, dolor soluitur.

Quum in doloribus plethoricis, qui è dorso, ceruice, & scapula, ad cubitum descendunt, sanguis mittitur per venam in cubito sectam, materia dolorem faciens, ad partémque aliam dolenti proximam, & vacuationi congruentem vergens, per eam partem euacuatur. Ergo

Quum in doloribus plethoricis, qui è dorso, ceruice, & scapula, ad cubitum descendunt, sanguis mittitur per venam in cubito sectam, dolor soluitur.

APHOR. XXIII.

Ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον.

Si metus & mœstitia longo tempore perseue-

perſeuerent, melancholicum eſt.

COMMENT.

Quæcunque obtenebrationem in ſpiritibus animalibus, & ſimul in corde refrigerationem ſignificant, vel inducunt, illa melancholicum affectum aut præſentem arguunt, aut futurum denunciant.

Metus & mœror longo tempore perſeuerantes, obtenebrationem in ſpiritibus animalibus, & ſimul in corde refrigerationem ſignificant, vel inducunt. Ergo

Metus & mœror longo tempore perſeuerantes, melancholicum affectum aut præſentem arguunt, aut futurum denunciant.

APHOR. XXIV.

Ἐντέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν, οὐ ξυμφύεται.

Si quod gracile inteſtinum perfectum ſit, non coaleſcit.

COMMENT.

Nulla corporis pars exanguis, recipiendíſque iugiter excrementis dicata, continui diuortio laborans coaleſcit.

Inteſtinum tenue perfectum, eſt corporis pars exanguis, recipiendíſque iugiter excrementis dicata, continui diuortio laborans. Ergo

Inteſtinum tenue perfectum, non coaleſcit.

APHOR. XXV.

Ἐρυσίπελας ἔξωθεν εἴσω τρέπεσθαι, οὐκ

ἀγαθόν· ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν.

Erysipelas foris intrò conuerti, malum: intus verò foras, bonum.

COMMENT.

Quotiescunque humor noxius à partibus ignobilibus ad nobiliores confluit, malum: vbi verò à nobilioribus ad ignobiles propulsatur, bonum.

Quum erysipelas foris intrò conuertitur, humor noxius à partibus ignobilibus ad nobiliores confluit: vbi verò intus foras, humor à nobilioribus ad ignobiles propulsatur. Ergo

Quum erysipelas foris intrò conuertitur, malum: vbi verò intus foras, bonum.

APHOR. XXVI.

Ὁκόσοισιν δὲ ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει.

Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.

COMMENT.

Quotiescunque materia febrilis biliosa, à venoso genere in neruos translata eos malè afficit, tunc per delirium, *vtpote cerebri affectum bili proportionatum*, affectus neruorum, & nonnunquam febres soluuntur.

Quoties in febribus ardentibus tremores fiunt, materia febrilis biliosa, à venoso genere in neruos translata, eos malè afficit. Ergo

Quoties in febribus ardentibus tremores fiunt, illi &

illi, & nonnunquam febres per delirium, soluuntur.

Aphor. XXVII.

Ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου, καὶ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται.

Quicunque empyi aut hydropici vrũtur aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omnino moriuntur.

COMMENT.

Quotiescunque morbo grauissimo detentis, permagna mutatio subitò infertur, fitque ingens spirituum vitalium iactura : mors ingruit.

Quum empyis aut hydropicis, per vstionem sectionémve, pus vel aqua vniuersim effluit, permagna mutatio morbo grauissimo detentis subitò infertur, fitque ingens spirituũ vitalium iactura. Ergo

Quum empyis aut hydropicis, per vstionem sectionémve, pus vel aqua vniuersim effluit, mors ingruit.

Aphor. XXVIII.

Εὐνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται.

Eunuchi podagrâ non laborant, nec calui fiunt.

COMMENT.

Quicunque à præcipuis podagræ & caluitiei causis sunt immunes, podagra & caluitie vix tentantur.

Eunuchi à principiis generationis robur articulorum qualecunque nacti, & crapulæ non indulgentes, sunt immunes à præcipuis podagræ & caluitiei causis, *nempe ab articulorum imbecillitate, habitúque sicciore, ob Venerem potissimùm contingentibus.* Ergo

Eunuchi à principiis generationis robur articulorum qualecunque nacti, & crapulæ non indulgentes, podagra & caluitie vix tentantur.

APHOR. XXIX.

Γυνὴ οὐ ποδαγριᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ.

Mulier podagrâ non laborat, nisi mẽstrua defecerint.

COMMENT.

Quæcũque corpora imbecillitati articulorum adscititiæ non admodum obnoxia, probè expurgari pergunt, podagrâ vt plurimùm non laborant, nisi consueta euacuatio desinat.

Muliebria corpora, quibus pro naturę lege mẽses fluunt, imbecillitati articulorum adscititiæ non admodum obnoxia, probè expurgari pergunt. Ergo

Muliebria corpora, quibus pro naturæ lege menses fluunt, podagrâ vt plurimùm non labo-

laborant, nisi consueta illa euacuatio desinat.

APHOR. XXX.

Παῖς οὐ ποδαγριᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ.

Puer podagrâ non laborat ante veneris vsum.

COMMENT.

Quisquis & validum habet calorem natiuum, redundantes etiam humiditates magna parte absumentem, & articulorum robore pollet, podagrâ non laborat, priusquam & calor & articuli debilitentur.

Puer à principiis generationis bene constitutus, & modico cibo contentu, calorem natiuum habet validum, redundantes etiam humiditates magna parte absumentem, & articulorum robore pollet. Ergo

Puer dictus podagrâ non laborat, priusquàm & calor & articuli debilitentur.

Hoc autem fit in primis per immodicam venerem.

APHOR. XXXI.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη, ἢ λουτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη λύει.

Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio soluit.

COMMENT.

Quæcunque in dolore partium, materiæ ſuppurationem non admittentium, attenuant, digerunt, doloriſque cauſam antecedentem aut coniunctam euacuant: illa, ex methodo adminiſtrata, partium earum dolorem ſoluunt.

Meri potio, balneum, fomentum, phlebotomia, aut purgatio, in dolore oculorum, partium ſcilicet materiæ ſuppurationem non admittentium, attenuant, digerunt, ac doloris cauſam antecedentem aut coniunctam euacuant. Ergo

Meri potio, balneum, fomentum, phlebotomia aut purgatio, ex methodo adminiſtrata, oculorum dolorem ſoluunt.

APHOR. XXXII.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς.

Balbi longo alui profluuio maximè corripiuntur.

COMMENT.

Quibuſcunque ventriculus multa ſcatet humiditate, ſibi à cerebro humidiore continenter communicata, illi longo alui profluuio maximè corripiuntur.

Balbis quàm plurimis ventriculus multa ſcatet humiditate, ſibi à cerebro humidiore cōtinenter communicata. Ergo

Balbi quàm plurimi longo alui profluuio maximè corripiuntur.

APHOR. XXXIII.

Οἱ ὀξυρεγμιώδεες, οὐ πάνυ τι πλευριτικοὶ γίνονται.

Qui acidum ructant, non admodum pleuritici fiunt.

COMMENT.

Quicunque abundant pituita frigidiore, raro pleuritide laborant, *affectu nempe vt plurimum bilioso.*

Qui acidum ructare solent, abundant pituita frigidiore. Ergo

Qui acidum ructare solent, raro pleuritide laborant.

APHOR. XXXIV.

Ὁκόσοι φαλακροὶ, τουτέοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. ὁκόσοισι δ' ἂν φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγένωνται, πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες.

Qui calui sunt, iis varices magni non fiunt: quibus verò caluis existentibus varices superueniunt, ij rursus capillati fiunt.

COMMENT.

Quotiescunque symptoma est in capite à prauis humoribus, tunc ferè non adsunt in cruribus affectus, ab iisdem humoribus oriri soliti: vbi verò superuenientibus crurum affectibus, materia illa à capite ad infernas

partes reuellitur, symptoma capitis euanescit.

Quoties capilli defluunt, symptoma est in capite, à prauis plerumque humoribus: quum verò magni varices accedunt, tunc superuenientibus crurum affectibus, materia illa vt plurimùm, à capite ad infernas partes reuellitur. Ergo

Quoties capilli defluunt, tunc ferè non adsunt in cruribus affectus, magni scilicet varices, ab iisdẽ prauis humoribus oriri soliti: quum verò magni varices accedunt, symptoma capitis, nempe capillorum defluuium, vt plurimùm euanescit.

APHOR. XXXV.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγενομένη, κακόν.

Hydropicis tussis superueniens, malum.

COMMENT.

Omne symptoma quod ab ingrauescente abdominis morbo, thoracem in consensum trahi significat, malum.

Tussis hydropi superueniens, citra causam manifestam, symptoma est quod ab ingrauescẽte abdominis morbo, thoracem in cõsensum trahi significat, *tum compreßione diaphragmatis, tum (quod rarius) aquoso humore tracheæ ramos occupante.* Ergo

Tussis hydropi superueniens, citra causam manifestam, malum.

Huius

Huic est affinis aph.45.sect.7.

APHOR. XXXVI.

Δυσουρίην καὶ φλεβοτομίη λύει· τέμνειν δὲ τὰς εἴσω.

Difficultatem vrinæ & phlebotomia soluit: secare verò interiores.

COMMENT.

Omne symptoma pendens ab inflammatione vesicæ, curatur in primis per sectionem venę poplitis, aut internæ malleoli, *vtpote cuius magnus est cum inflammata parte consensus.*

Dysuria quędam symptoma est pendens ab inflammatione vesicæ. Ergo

Dysuria quædam curatur in primis per sectionem venæ poplitis, aut internæ malleoli.

Cum hoc conuenit aphor.46.sect.7.

APHOR. XXXVII.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γενέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νούσημα.

Angina correpto si tumor fiat in collo, bonum: foras enim morbus educitur.

COMMENT.

Quicquid materiam noxiam ab internis partibus ad externas detrudi, & suffocationis periculum remoueri significat, bonum.

Tumor angina correptis, in collo apparens,

materiam noxiam ab internis partibus ad externas detrudi,& suffocationis periculum remoueri significat. Ergo

Tumor angina correptis,in collo apparens,bonum.

APHOR. XXXVIII.

Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον· θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως· μὴ θεραπευόμενοι δὲ, πολυν χρόνον διατελοῦσι.

Quibus occulti cancri adsunt, non curare melius, curati enim citiùs intereunt,non curati verò longiùs vitam trahunt.

COMMENT.

Omnis tumor,vlcúsque omne valde contumax, certum, si agonisticè curetur, mortem minitans, debet per mitigantia tantùm remedia, vitam longiorem, minúsque molestam concedentia,demulceri.

Omnis cancer occultus, siue in parte recondita puta palato,vtero,ano,&c.vlceratus sit, vel non,siue in parte externa non vlceratus, sed qui altas adeò radices egerit,vt nequeat tutò ac perfectè auelli: omnis inquam huiusmodi cancer, tumor est vel vlcus, valde contumax, certam si agonisticè curetur, mortem minitans, *ægro scilicet miris modis exagitato, nec vlcere,per vstionem aut sectionem facto,ad cicatricem vnquam deueniente*. Ergo

Omnis

Omnis huiuſmodi cancer, debet per mitigantia tantùm remedia, vitam longiorem, minúſque moleſtam concedentia, demulceri.

Aphor. XXXIX.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος· οὕτω δὲ καὶ λυγμός.

Conuulſio fit vel à repletione, vel ab inanitione: ita & ſingultus.

COMMENT.

Omnia ſymptomata ſequentia morbum, neruos aut neruoſas fibras vi contrahentem, vel à repletione, vel ab inanitione ortum ducunt.

Omnis conuulſio legitima, & aliquis ſingultus, ſymptomata ſunt ſequentia morbum, neruos aut neruoſas fibras vi contrahentem. Ergo

Omnis conuulſio legitima, & ſingultus aliquis, vel à repletione, vel ab inanitione ortum ducunt.

Spuria eſt conuulſio ab expultrice irritata: ſingultus verò nõ fit niſi ea ipſa facultas irritetur, licèt aliquando per mediam inanitionem, aut repletionem fibrarum oris ventriculi, aliàs ob errorem externum, id eſt, ab acri humore vellicante, de qua tertia ſpecie ſermo non eſt Hippocrati, hoc aphoriſmo.

Aphor. XL.

Οκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρε-

τὸς ὁπιγινόμενος λύει τὸν πόνον.

Quibus ad hypochondrium dolor est sine inflammatione, iis febris superueniens dolorem soluit.

COMMENT.

Quicquid frigidam intemperiem corrigit, humores crassos attenuat, flatúsque discutit: illud superueniens hypochondrio dolenti, non à morsu, nec ab inflammatione, dolorem soluit.

Febris intemperiem frigidam corrigit, humores crassos attenuat, flatúsque discutit. Ergo

Febris superueniens hypochondrio doléti, non à morsu, nec ab inflammatione, dolorem soluit.

Simile quid habetur aphor. 50. sect. 7.

APHOR. XLI.

Ὁκόσοισι διὰ πύον τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ διασημαίνει, τουτέοισι διὰ παχύτητα τῦ πύου, ἢ τῦ τόπου, οὐκ ἀποσημαίνει.

Quibus in corpore pus non innotescit, ob crassitudinem sui aut loci, non se prodit.

COMMENT.

Quotiescunque suppuratus tumor nulla dat suppurationis signa, quæ sensu percipiantur, *qualia sunt cutis albedo, mollities, ac puris fluctuatio:* tunc suppuratio sensui occulta, ratiocinio debet indagari.

Quoties

Quoties locus affectus cute densa tegitur, aut pus valde crassum est, suppuratus tumor nulla dat suppurationis signa, quæ sensu percipiantur. Ergo

Quoties locus affectus cute densa tegitur, aut pus valde crassum est, suppuratio sensui occulta, ratiocinio debet indagari: *ex febre nimirùm, dolore, & caloris sensu in parte affecta progressis, vt videre est aphor. 47. sect. 2.*

APHOR. XLII.

Ἐν τοῖσιν ἰκτεριώδεσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γίγνεσθαι, πονηρόν.

Regio morbo laborantibus iecur durum fieri, malum.

COMMENT.

Quicquid labefactatam hepatis coctionē impedit, eiúsque visceris noxam ingeminat, malum est.

Hepatis durities, regio morbo laborantibus superueniēs, labefactatam eius visceris coctionem impedit, & noxam ingeminat. Ergo

Hepatis durities, regio morbo laborantibus superueniens, mala est.

APHOR. XLIII.

Ὁκόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.

Qui lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſuperuenientem longam dyſenteriam hydrops, aut inteſtinorum læuitas excipit, & moriuntur.

COMMENT.

Quicunque corpore ſunt ob diuturnum aliquem morbum cacochymo, alióque affectu diu perſeuerante, ac ventriculi, aut etiam hepatis robur diſſoluente, grauiſſimóſque alios morbos inducente, corripiuntur: affectuum vehementiæ neceſſariò ſuccumbunt, ac moriuntur.

Lienoſi longa dyſenteria detenti, & hinc in hydropem aut lienteriam detruſi, corpore ſunt ob diuturnum morbum cacochymo, alióque affectu diu perſeuerante, & ventriculi, aut etiam hepatis robur diſſoluente, grauiſſimóſque alios morbos inducente corripiuntur.

Ergo

Lienoſi longa dyſenteria detenti, & hinc in hydropem, aut lienteriam detruſi, affectuum vehementiæ neceſſariò ſuccumbunt, ac moriuntur.

APHOR. XLIV.

Ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

Quibus à ſtranguria ileus ſuperuenerit, intra

rit, intra ſeptem dies moriuntur, niſi febre ſuperueniente copioſa vrina fluxerit.

COMMENT.

Quotieſcunq; moleſtiſſimo ſymptomati, morbus accedit peracutus, frigidis & craſſis humoribus vtrumque affectum generantibus, ægri ferè intra ſeptem dies moriuntur, niſi aliquid, putà febris, ſuperueniat, quæ humores illos attenuet, concoquat, & abundè vacuet.

Quoties ſtranguriam à pituitoſis humoribus veſicam occupantibus, ileus paulò pòſt comitatur, moleſtiſſimo ſymptomati, morbus accedit peracutus, frigidis & craſſis humoribus vtrumque affectum generantibus. Ergo

Quoties ſtranguriam à pituitoſis humoribus veſicā occupantibus, ileus paulò pòſt comitatur, ægri ferè intra ſeptē dies moriuntur, niſi aliquid, putà febris, ſuperueniat, quæ humores illos attenuet, concoquat, & per vrinas abundè vacuet.

APHOR. XLV.

Ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται, ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσιν, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι.

Si vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere eſt neceſſe, & cicatrices cauas fieri.

COMMENT.

Vbicunque os corruptum eſt, *cùm ibi caro firmari nequeat*, neceſſe eſt in curatione, partem oſſis, *corruptam ſcilicet*, abſcedere, & cauam cicatricem fieri.

In vlceribus annuis, aut diuturnioribus, præſertim cum humorum influxu, os ſæpenumero corruptum eſt. Ergo

In vlceribus annuis aut diuturnioribus, præſertim cum humorum influxu, ſæpenumerò neceſſe eſt in curatione, partem oſſis abſcedere, & cauam cicatricem fieri.

APHOR. XLVI.

Ὁκόσοι ὑβοὶ ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται.

Qui gibbi ex aſthmate vel tuſſi ante pubertatem fiunt, moriuntur.

COMMENT.

Quicunque dum augentur, vertebrarum in regione thoracis luxationem, à tumore ſeu tuberculis factam patiuntur, illi, *corde & pulmone compreſſis à thorace non ad proportionem aucto*, cum vehementi aſthmate vel etiam tuſſi moriuntur.

Qui gibbi ex aſthmate, vel tuſſi ante pubertatem fiunt, illi dum augentur, vertebrarum thoracis luxationem, à tumore ſeu tuberculis factam patiuntur, *quorum ſcilicet materia prius aſthma vel tuſſim faciebat*. Ergo

Qui gibbi ex aſthmate, vel tuſſi antè pubertatem

tem ſunt, cum vehementi aſthmate vel etiam tuſſi moriuntur.

APHOR. XLVII.

Ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τουτέοις προσῆκον τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν.

Quibus venæ ſectio aut purgatio prodeſt, his vere ſecanda vena eſt, aut purgatio imperanda.

COMMENT.

Quocunque anni tempore ſanguis maximè abundat, noxiique humores potiſſimùm mouentur, nec æſtus aut algor, vires infirmando, validum remedium diſſuadent: eo tempore his qui præcautione indigent, plethoricis quidem vena ſecanda, cacochymis purgatio imperanda.

Vere ſanguis maximè abundat, noxiique humores potiſſimùm mouentur, nec æſtus aut algor, vires infirmando, validum remedium diſſuadent. Ergo

Vere his qui præcautione indigent, plethoricis quidem vena ſecanda, cacochymis purgatio imperanda.

APHOR. XLVIII.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγινομένη, ἀγαθόν.

Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum.

COMMENT.

Quicquid magnis obstructionibus laboranti, materierum obstruentium euacuandarum occasionem idoneam præbet, bono est.

Leuis dysenteria lienoso superueniens, magnis obstructionibus laboranti, materierum obstruentium euacuandarum occasionem idoneam præbet. Ergo

Leuis dysenteria lienoso superueniens, bono est.

APHOR. XLIX.

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νουσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀποκαθίσταται.

Qui podagrici morbi fiunt, sedata inflammatione intra dies quadraginta conquiescunt.

COMMENT.

Omnis morbus exactè acutus, intra quatuordecim: ex prolapsu verò acutus, intra quadraginta dies terminatur.

Inflammatio in parte carnosa, molli, & robusta, morbus est exactè acutus: eadem verò in podagricis articulos occupans, *partes nempe frigidas, densas, ac debiles*, morbus est ex prolapsu acutus. Ergo

Inflammatio in parte carnosa, molli, & robusta, intra quatuordecim: eadem verò in podagricis articulos occupans, intra quadraginta dies terminatur.

APHOR.

APHOR. L.

Ὁκόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ, τουτέοισιν ἀνάγκη πυρετὸν, καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι.

Quibus interfectum est cerebrum, his febrem, & biliosum vomitum superuenire est necesse.

COMMENT.

Quibuscunque precipuum viscus, cordi & ventriculo maxime affine, grauiter læditur, & ob sanguinem affluentem, supra modum incalescit, conflictatúrque: iis febrem, & biliosum vomitum superuenire est necesse.

Quibus vulneratum est cerebrum, præcipuum viscus, cordi & ventriculo maxime affine, grauiter læditur, & ob sanguinem affluentem, supra modum incalescit, conflictatúrque.

Ergo.

Quibus vulneratum est cerebrum, iis, *corde vi caloris per arterias in consensum tracto, & ventriculo per neruos agitato, maximéque mobilem humorem magnâ copiâ attrahente*, febrem, & biliosum vomitum superuenire est necesse.

APHOR. LI.

Ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ.

Qui valentes, capitis repentè dolori-bus corripiuntur, & protinus muti fiunt ac ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris interuenerit.

COMMENT.

Quicunque leuiori primùm capitis affectu, mox incauti apoplexiâ, pituitoſo vt plurimùm, cerebri morbo, eóque peracuto prehenduntur, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris ſuperueniat, *pituitoſam materiam validè attenuans ac diſcutiens.*

Qui valentes, dolore capitis repentè corripiüntur, & protinus muti fiunt, ac ſtertunt, illi leuiori primùm capitis affectu, mox incauti apoplexiâ, pituitoſo vt plurimùm, cerebri morbo, eóque peracuto, prehenduntur. Ergo

Qui valentes, dolore capitis repentè corripiuntur, & protinus muti fiunt, ac ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris ſuperueniat.

APHOR. LII.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι, ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον, καὶ θανατῶδες σφόδρα.

Sed in ſomnis etiam an de oculis aliquid

quid ſubappareat ſpectare oportet: nam ſi quid non exactè commiſſis palpebris de albo appareat, modò non ex alui profluuio aut medicamenti potione accidat, malum ſignum eſt, & valde pernicioſum.

COMMENT.

Quæcunque proſtratas à morbo vires, aut humidum etiam naturale magna parte abſumptum denotant, ea malum quid ſignificant, ac valde pernicioſum.

Oculi per ſomnum citra immodicam euacuationem, & præter ægri conſuetudinem, in acutis morbis non probè clauſi, adeò vt eorum album appareat, proſtratas à morbo vires, aut humidum etiam naturale magna parte abſumptum denotant. Ergo

Oculi per ſomnum citra immodicam euacuationem, & præter ægri conſuetudinem in acutis morbis non probè clauſi, adeò vt eorum album appareat, malum quid ſignificant, & valde pernicioſum.

APHOR. LIII.

Αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι, ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

Deliratio quæ cum riſu fit, tutior: quæ verò cum ſtudio, periculoſior.

COMMENT.

Omne ſymptoma à benigno humore ortum ducens, minùs eſt periculoſum : quod verò à maligno fit humore, periculoſius.

Delirium cum riſu, ſymptoma eſt à benigno humore, *nempe ſanguine*, ortum ducens: quod verò fit cum ſtudio, à maligno humore, *bilioſo nimirùm aut melancholico*, pendet. Ergo

Delirium cum riſu, minùs eſt periculoſum: quod verò cum ſtudio, periculoſius.

APHOR. LIV.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.

In morbis acutis cum febre luctuoſa ſuſpiria, mala.

COMMENT.

Quæcunque arguunt facultatis thoracem mouentis imbecillitatem, aut inſignem organorum reſpirationi famulantium ſiccitatem, aut vtramque noxam cum triſti ſenſu : mala ſunt ſigna.

Interſectæ inſpirationes, & luctuoſa ſuſpiria inuoluntaria, in acutis morbis cum febre, arguunt facultatis thoracem mouentis imbecillitatem, aut inſignem organorum reſpirationi famulantium ſiccitatem, aut vtramque noxam cum triſti ſenſu. Ergo

Interſectæ inſpirationes, & luctuoſa ſuſpiria inuoluntaria, in acutis morbis cum febre, mala ſunt ſigna.

APH-

APHOR. LV.

Τὰ ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Dolores podagrici vere & autumno magna ex parte mouentur.

COMMENT.

Quotiescunque humores, quantitate aut qualitate peccantes, in corpore anteà collecti, commouentur, tunc potissimùm dolores podagrici fiunt, *materiâ nempe ad articulos debiles propulsatâ.*

Vere & autumno, humores, quantitate aut qualitate peccantes, anteà *per hyemem scilicet vel æstatem pragressam* collecti, *à veris tepore fusi, ab autumni frigore cohibiti* commouentur.

Ergo

Vere & autumno potissimùm, dolores podagrici fiunt.

APHOR. LVI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νουσήμασιν ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνει.

Morbis melancholicis per hæc tempora suspecti humorum decubitus, vel apoplexiam corporis, vel cõuulsionem, vel maniam, vel cæcitatem denunciant.

COMMENT.

Omnes capitis affectus materiales, qui non per crisim soluuntur, vere & autumno suspicionem afferunt multiplicis humorum peccantium & concitatorum decubitus, qui in varias corporis partes, aut in ipsam mentem impetum habentes, pro eorum & loci discrimine, varias morborum aut symptomatum species denunciant, ac inuehunt.

Multi morbi melancholici, affectus sunt capitis materiales, qui non per crisim soluuntur.

Ergo

Multi morbi melancholici, vere & autumno suspicionem afferunt multiplicis humorum peccantium & concitatorum decubitus, qui in varias corporis partes impetum habentes, *puta in cerebri ventriculos ac poros, in neruos motrices aut visorios*, aut in ipsâ mentẽ, *seu spiritus animales*, pro eorũ & loci discrimine, varias morborũ aut symptomatum species *apoplexiam videlicet, conuulsionem, cæcitatem, aut maniam*, denunciant, ac inuehunt.

APHOR. LVII.

Ἀπόπληκτοι δὲ μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

Apoplexia autem fit maximè à quadragesimo anno ad sexagesimum.

COMMENT.

Omnis morbus ab humore melancholico ortum

tum ducens, ea potissimùm ætate fit, quæ autumno pro portione respondet, à quadragesimo scilicet anno ad sexagesimum.

Apoplexia, de qua in præcedente aphorismo, morbus est ab humore melancholico ortum ducens, Ergo

Apoplexia, de qua in præcedente aphorismo, ea potissimùm ætate fit, quæ autumno proportione respondet, à quadragesimo scilicet anno ad sexagesimum.

APHOR. LVIII.

Ἢν ἐπίπλοον ἐκπέσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

Si omentum exciderit, necessariò cõputrescit.

COMMENT.

Omnis pars corporis, aëreæ substantiæ multùm particeps, eóque maximè passibilis, aëris iniuriam persentiens, necessariò putrescit, & antequàm in propriam sedem reponatur, eius portio mutata abscindi debet.

Omentum per vulnus inflictum excidens, est pars corporis, aëreæ substantiæ multùm particeps, eóque maximè passibilis, aëris iniuriam persentiens. Ergo

Omentum per vulnus inflictum excidens, necessariò putrescit, & antequàm in propriam sedé reponatur, eius portio mutata abscindi debet.

Aphor. LIX.

Ὁκόσοισι ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τουτέοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

Quibus diuturno dolore iſchiadico vexatis, femoris caput coxâ excidit, ruſúmque recidit, iis mucoſa eo loci ineſt pituita.

COMMENT.

Quibuſcunque ligamenta, coxæ articulum firmantia, præ nimio humore valde laxantur, molliſſimáque fiunt, mucoſa pituita in articulo eſt collecta.

Quibus longo iſchiadico dolore conflictatis, femoris caput coxâ excidit, rurſúmque in eam recidit, iis ligamenta, coxæ articulum firmantia, præ nimio humore valde laxantur, molliſſimáque fiunt. Ergo

Quibus longo iſchiadico dolore conflictatis, femoris caput coxâ excidit, rurſúmque in eam recidit, iis mucoſa pituita in articulo eſt collecta.

Aphor. LX.

Ὁκόσοισι ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης, τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, τουτέοισι τήκεται τὸ σκέλος, καὶ χωλοῦνται, ἢν μὴ καυθῶσιν.

Quibus diuturno dolore iſchiadico vexatis,

vexatis, femoris caput coxâ excidit, iis femur contabescit, & claudicant, nisi vrantur.

COMMENT.

Quicunque ob doloris prægressi vehementiam, copiosámque in femoris articulo & vasis pituitam, natiuo calori aduersariam, crus habent valde imbecillum: iis crus tabescit, & claudicant, nisi vrantur:

Quibus diuturno dolore ischiadico vexatis, femoris caput coxâ excidit, ij ob doloris prægressi vehementiam, copiosámque in femoris articulo pituitam, natiuo calori aduersariam, crus habent valde imbecillum. Ergo

Quibus diuturno dolore ischiadico vexatis, femoris caput coxâ excidit, iis crus tabescit, & claudicant, nisi vrantur.

Vstione mucor absumitur, cutis & ligamenta confirmantur, totique articulo robur inditur.

SEXTÆ SECTIONIS

FINIS.

PAVLI OFFREDI MEDICI,

IN SEPTIMAM HIPpocratis Aphorismorum sectionem,

Commentaria Aphoristica, ad methodum analyticam redacta.

Argumentum sectionis.

IN hac septima postremáque sectione, multa signa proponit in quàm plurimis, variisque particularibus morbis, bonum vel malum exitum præmonstrantia: tradit etiam nonnulla diæ-

la diætetica, chirurgica, & de vrinis, partim præsagitioni, partim curationi inseruientia.

Aphor. I.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι νουσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

In morbis acutis frigus partium extremarum, malum.

COMMENT.

Quicquid arguit insignem alicuius visceris inflammationem, aut caloris natiui ab humorum copia & crassitie extinctionem, aut doloris in parte aliqua vehementiam, aut horum plura: illud malum est signum, & valde perniciosum.

Frigus partium extremarum in morbis acutis, arguit insignem alicuius visceris inflammationem, aut caloris natiui ab humorum copia & crassitie extinctionem, aut doloris in aliqua parte vehementiam, aut horum plura. Ergo

Frigus partium extremarum in morbis acutis, malum est signum, & valde perniciosum.

Aphor. II.

Ἐπὶ ὀστέῳ νοσέοντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

Propter os ægrotans caro liuida, malum.

COMMENT.

Quicquid in ægra parte caloris extinctionem significat, à maligna putredine, malum est signum.

Caro liuida propter os corruptum, significat in ægra parte caloris extinctionem, à maligna putredine. Ergo

Caro liuida propter os corruptum, malum est signum.

APHOR. III.

Επὶ ἐμέτῳ λύγξ καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

A vomitu singultus & oculorum rubor, malum.

COMMENT.

Quæcunque symptomata, noxiæ materiæ vacuationem imperfectam subsequentia, denotant affectum priore grauiorem, mala sunt signa.

Singultus & oculorum rubor à vomitu, symptomata sunt, quæ materiæ noxiæ vacuationem imperfectam subsequentia, denotant affectum priore grauiorem, *materiâ scilicet à ventriculi cauitate in stomachi fibras delata, & cerebro compatiente, vt oculorum rubor attestatur.* Ergo

Singultus & oculorum rubor à vomitu, mala sunt signa.

APHOR.

APHOR. IV.

Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

A sudore horror, non bonum.

COMMENT

Omne symptoma crisim imperfectam, propter materiæ copiam, facultatisque imbecillitatem significans, malum.

Horror a sudore symptoma est crisim imperfectam, propter materiæ copiam, facultatisque imbecillitatem significans. Ergo

Horror à sudore malum.

APHOR. V.

Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

Ab insania difficultas intestinorum, aut hydrops, aut ecstasis, bonum.

COMMENT.

Quotiescunque materia, sæuissimum in cerebro affectum faciens, ad partes ignobiliores reuulsa, quietioribus morbis præbet occasionem, aut apparet symptoma, minorem sæuitiem proferens, priorisve cerebri affectus solutionem denuncians: bonum.

Quoties ab insania, cruenta fit ac mitis dysenteria, vel etiam tanta vt *refrigeratis visceribus nutritiom dicatis* hydrops inducatur, vel ecstasis oboritur: tunc aut materia, sæuissimum in cerebro affectum faciens, ad partes ignobiliores reuulsa, quietioribus morbis præbet occasionem, aut symptoma, ecstasis nimirum,

apparet, minorem sæuitiem proferens, priorísve cerebri affectus, *commotâ valde materiâ*, solutionem denuncians. Ergo

Quoties ab insania, cruenta fit ac mitis dysenteria, vel etiam tanta vt hydrops inducatur, vel ecstasis oboritur: bonum.

APHOR. VI.

Επὶ νούσῳ πολυχρονίῃ, ἀποσιτίη καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν.

In morbo diuturno, cibi fastidium & syncerae deiectiones, malum.

COMMENT.

Omnia symptomata facultatum naturalium langorem, insignémque in earum visceribus intemperiem, & magnam natiui humidi cōsumptionem significantia, malo sunt.

Cibi fastidium in morbo diuturno, ac syncerae deiectiones, *id est serosa humiditatis expertes*, symptomata sunt facultatum naturalium langorem, insignémque in earum visceribus intemperiem, & magnam natiui humidi cōsumptionem significantia. Ergo

Cibi fastidium in morbo diuturno, ac syncerae deiectiones, malo sunt.

APHOR. VII.

Εκ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν.

A multa potatione rigor & delirium, malum.

COM-

COMMENT.

Quæcunque ſymptomata ex abuſu rei cuiuſpiam non naturalis, extinctionem caloris & apoplexiam, vel conſimilem cerebri affectum minantur, mala ſunt ſigna.

Rigor & delirium à nimia vini potatione, ſymptomata ſunt ex abuſu rei non naturalis, quæ dictos affectus minantur, *naturâ ſcilicet vapores à venis diſtentis in partes neruoſas expellente, eiſdémque repleto cerebro.* Ergo

Rigor & delirium à nimia vini potatione, mala ſunt ſigna.

APHOR. VIII.

Ἐπὶ φύματος εἴσω ῥήξεως ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λειποψυχίη γίνεται.

A tuberculi intus ruptione exolutio, vomitio, & animi defectio fit.

COMMENT.

Quotieſcunque materia purulenta confertim in interna corporis ſpatia effunditur, toties contingit ſpirituum vitalium cum erumpente pure exolutio, &, ſi ad ventriculum attineat, puris vomitus, &, exolutione creſcente, vel tetris vaporibus cor aut ſtomachum petentibus, animi defectus oboritur.

Quoties diſrumpitur magnus aliquis abſceſſus internus, materia purulenta confertim in interna corporis ſpatia effunditur. Ergo

Quoties diſrumpitur magnus aliquis abſceſſus internus, contingit ſpirituum vitalium cum

erumpente pure exolutio, &, si ad ventriculum attineat, puris vomitus, &, exolutione crescente, vel tetris vaporibus cor aut stomachum petentibus, animi defectus oboritur.

APHOR. IX.

Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη, ἢ καὶ σπασμὸς, κακόν.

A sanguinis profluuio desipientia, aut etiam conuulsio, malum.

COMMENT.

Quicquid spirituum animalium defectum aut natiui etiam humidi consumptionem denotat, malum est, vel omnino perniciosum.

Delirium, *mite scilicet ex manca ratiocinatione*, sanguinis profluuio superueniens, spirituum animalium defectum: accedens autem conuulsio, natiui etiam humidi consumptionem denotat. Ergo

Delirium sanguinis profluuio superueniens, malum est: conuulsio autem accedens, omnino perniciosum.

APHOR. X.

Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ab ileo vomitus, & singultus, vel cõuulsio, vel desipientia, malum.

COMMENT.

Quotiescunque materię, quę per aluum excerni solebant, in intestinis vi magna detentæ, regurgitant in ventriculum, eiúsque os ita

lædunt

lædunt vt nerui compatiantur, & cerebrum a teterrimis vaporibus infestetur: malum.

Quoties ab ileo fit vomitus, & singultus, vel conuulsio aut desipientia: materiæ, quæ per aluum excerni solebant, in intestinis vi magna detentæ, regurgitant in ventriculum, eiúsque os ita lædunt, vt nerui compatiantúr, & cerebrum a teterrimis vaporibus infestetur. Ergo

Quoties ab ileo fit vomitus, & singultus, vel conuulsio, aut desipientia, malum.

APHOR. XI.

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη, κακόν.

A pleuritide peripneumonia, malum.

COMMENT.

Quoties morbus acutus degenerat in peracutum, aut peracutus illi superuenit, malum.

Quum à pleuritide fit peripneumonia, morbus acutus degenerat in peracutum, aut peracutus illi superuenit. Ergo

Quum à pleuritide fit peripneumonia, malum.

APHOR. XII.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

A peripneumonia phrenitis, malum.

COMMENT.

Quotiescunque viscus peracuto morbo detentum aliud nobilius in consensum trahit, maximéque infestat: malum.

Quando peripneumoniæ accedit phrenitis, *propriè vel impropriè dicta*, pulmo peracuto

morbo detentus, aliud viſcus nobilius, cerebrum nempe, in conſenſum trahit, maximéque infeſtat. Ergo

Quando peripneumoniæ accedit phrenitis, malum.

APHOR. XIII.

Ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμὸς, ἢ τέτανος, κακόν.

Ab ardoribus vehementibus conuulſio, aut tetanus, malum.

COMMENT.

Omne ſymptoma ab inſigni neruorum ariditate pendens, malum eſt ferè immedicabile.

Conuulſio aut tetanus, ortúm ducens à febribus ardentibus, vſtionibus, aliíſve ardoribus, ſymptoma eſt ab inſigni neruorum ariditate pendens. Ergo

Conuulſio aut tetanus, ortum ducens à febribus ardentibus, vſtionibus, aliíſve ardoribus, malum eſt ferè immedicabile.

APHOR. XIV.

Ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

A capitis ictu ſtupor, aut deſipientia, malum.

COMMENT.

Quicquid arguit cerebrum ab externa cauſa grauiter læſum eſſe, malum eſt ſignum.

Deſipientia vel ſtupor à capitis ictu, diu perſeuerans,

seuerans, arguit cerebrum ab externa causa grauiter læsum esse. Ergo

Desipientia vel stupor à capitis ictu, diu perseuerans, malum est signum.

APHOR. XV.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει πύου πτύσις, κακόν.

A sanguinis sputu puris expuitio, malum.

COMMENT.

Quicquid vlcus in interna aliqua parte significat malum.

Puris expuitio à sputu sanguinis, vlcus in interna aliqua parte significat. Ergo

Puris expuitio à sputu sanguinis, malum.

Sententia cõsimilis habetur aphor. 73. sect. 4.

APHOR. XVI.

Ἐπὶ πύου πτύσει φθίσις καὶ ῥύσις. ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἔχηται, ἀποθνήσκουσιν.

A puris sputu phthisis & fluxio: cùm verò sputum retentũ fuerit, moriuntur.

COMMENT.

Quotiescunque pulmonis vlceri signa superueniunt extremæ virium imbecillitatis, vel ariditatis in toto, lethale est: quum verò respirationis viæ obstruuntur, mors ingruit.

Quoties à puris sputu, tabes & fluxio *ventris vel capillorum* fiunt. tunc pulmonis vlceri signa superueniunt extremæ virium imbecillitatis, vel ariditatis vel ariditatis in toto: quum verò sputum etiam retentum fuerit,

respirationis viæ obstruuntur. Ergo

Quoties à puris sputu, tabes & fluxio fiunt, lethale est: quum verò sputum etiam retentum fuerit, mors ingruit.

Hic aphor. est affinis 12. sect. 5.

APHOR. XVII.

Ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ, κακόν.

Propter iecoris inflammationem singultus, malum.

COMMENT.

Quotiescunque præcipuum viscus malè affectum, alterum sibi proximum & affine in consensum trahit: malum.

Quoties ob iecoris inflammationem fit singultus, præcipuum viscus malè affectum, ventriculum, sibi proximum & affinem in consensum trahit, *compressione nimirùm ob auctam inflammationem, nec non caliditate & siccitate ipsi communicata, aut etiam bile copiosa in ipsum influente.* Ergo

Quoties ob iecoris inflammationem fit singultus, malum.

Hic aphor. ex parte respondet 58. 5.

APHOR. XVIII.

Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Propter vigiliam conuulsio aut desipientia, malum.

COM-

COMMENT.

Quicquid maximam neruorum ſiccitatem, vel mentis læſionem ſignificat, malum.

Conuulſio aut deſipiẽtia propter vigiliam, maximam neruorum ſiccitatem, vel mentis læſionem *ex imminutis ſpiritibus, aut à bile aucta & ſurſum euecta* ſignificat. Ergo

Conuulſio aut deſipientia propter vigiliam, malum.

APHOR. XIX.

Ἐπὶ ὀστέου ψιλώσει, ἐρυσίπελας.

Ab oſſis nudatione, eryſipelas.

COMMENT.

Quicquid vetat os carne tegi, & maximam corruptionis occaſionem illi præbet, malum eſt.

Eryſipelas ab oſſis nudatione, vetat os carne tegi, & maximam corruptionis occaſionem illi præbet. Ergo

Eryſipelas ab oſſis nudatione, malum eſt.

APHOR. XX.

Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν, ἢ ἐκπύησις, κακόν.

Ab eryſipelate putredo aut ſuppuratio, malum.

COMMENT.

Omnis tumor, per euapo-ationem propriꝫ materiæ ſolui conſuetus, ob alienæ craſſ oris admixtionem ſpurius euadens, putredinem pa-

titur, quum praua materia, ſuppurationem verò, quum benigna illi admiſcetur, & vtroque modo malum.

Eryſipelas tumor eſt qui per propriæ materiæ, *id eſt ſeroſa bilis*, euaporationem ſolui conſuetus, ob alienæ craſſioris admixtionem ſpurius euadit. Ergo

Eryſipelas putredinem patitur, quum praua materia, *pituita ſcilicet, melancholia, vel atra bilis*, ſuppurationem verò quum benigna, *putà ſanguis*, illi admiſcetur, & vtroque modo malum: *quia & maius imminet periculum, & longiore eget curatione.*

APHOR. XXI.

Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν.

A forti in vlceribus pulſu, hæmorrhagia, malum.

COMMENT.

Quicquid ſuppurationem ementitur, ac violenta vaſorum compreſſione, hæmorrhagiam ſæpe accerſit, malum eſt.

Fortis pulſatio in vlceribus inflammatis, à maximo ſanguinis & ſpirituum vitalium confluxu, ſuppurationem ementitur, ac violenta vaſorum compreſſione, hæmorrhagiam ſæpe accerſit. Ergo

Fortis pulſatio in vlceribus inflammatis, à maximo ſanguinis & ſpirituum vitalium confluxu, mala eſt.

APHOR,

APHOR. XXII.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ τῶν περὶ τὴν κοιλίην, ἐκπύησις.

A diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, ſuppuratio.

COMMENT.

Omnis triſtis ſenſatio ab humore calido, in parte molli, alterantibus, & euacuantibus remediis ritè adminiſtratis minimè cedens, ab inflammatione maximè pendet, eiúſque ſolutio eſt ſuppuratio.

Dolor diuturnus & valde contumax, cum ſenſu caliditatis, in locis quæ ad ventrem, triſtis eſt ſenſatio ab humore calido, in parte molli, alterantibus, & euacuantibus remediis ritè adminiſtratis minimè cedens. Ergo

Quidam dolor diuturnus & valde contumax, cum ſenſu caliditatis, in locis quæ ad ventrem, ab inflammatione maximè pendet, eiúſque ſolutio eſt ſuppuratio.

APHOR. XXIII.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη.

A ſyncera deiectione, dyſenteria.

COMMENT.

Omnis humor valde acer, diutiùs per inteſtina detruſus, dyſenteriam facit.

Syncera deiectio, *id eſt, omni ſero carens*, biliosa vel atrabilaris, perſeuerans, humor eſt valde acer, diutiùs per inteſtina detruſus. Ergo

Syncera deiectio, biliosa vel atrabilaris, perseuerans, dysenteriam facit.

APHOR. XXIV.

Ἐπὶ ὀστέου διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ.

Ab ossis vulnere desipientia, si in vacuum vsque penetrauerit.

COMMENT.

Quicquid cerebrum concutit, & aëris iniuriis quadantenus exponit, illud, *alteratione insolita, spirituúmque agitatione & imminutione,* desipientiam non rarò inducit.

Cranij vulnus ad vacuum vsque penetrans, cerebrum concutit, & aëris iniuriis quadantenus exponit. Ergo

Cranij vulnus ad vacuum vsque penetrans, desipientiam non rarò inducit.

Quum simpliciter cerebrum concutitur, sed paulò vehementiùs, fit obmutescentia, ex aph. 54 huius sect.

APHOR. XXV.

Ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατώδης.

A medicamenti potione conuulsio, mortifera.

COMMENT.

Quotiescunque maximæ virium prostrationi, extrema superuenit neruosarum partium siccitas, lethale,

Vbi à pharmaco ſuperpurgante accidit conuulſio, maximæ virium proſtrationi, extrema ſuperuenit neruoſarum partium ſiccitas.

Ergo

Vbi à pharmaco ſuperpurgante accidit conuulſio lethale.

Conſimilis huic 4.5.

APHOR. XXVI.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν περὶ τὴν κοιλίην, ἀκρωτηρίων ψύξις, κακόν.

Propter vehementem dolorem partium ad ventrem, extremorum perfrigeratio, malum.

COMMENT.

Omne ſymptoma interni affectus exacerbationem, caloriſque natiui imminentem ſuffocationem denotans, malum.

Extremorum perfrigeratio propter vehementem dolorem partium ad ventrem attinentium, ſymptoma eſt interni affectus exacerbationem, caloriſque natiui imminentem ſuffocationem denotans: *ſpiritu nempe & ſanguine extrema deſerentibus, & affatim ad partem dolentem confluentibus.* Ergo

Extremorum perfrigeratio propter vehementem dolorem partium ad ventrem attinentium, malum.

Simile quid habetur aphor. 1. huius ſect.

APHOR. XXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ πτιγασμὸς

ἐπιγενόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

Mulieri grauidæ si tenesmus superuenerit, abortum facit.

COMMENT.

Quotiescunque vterus grauidæ mulieris vehementer lacessitur, ac venter subinde vi magna deorsum comprimitur, aborsus periculum imminet.

Quoties grauida mulier tenesmo corripitur, eius vterus, *ob irritati recti intestini vicinitatem*, vehementer lacessitur, ac venter subinde vi magna deorsum comprimitur. Ergo

Quoties grauida mulier tenesmo corripitur, aborsus periculum imminet.

APHOR. XXVIII.

Ὅ,τι ἂν ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται, οὔτε συμφύεται.

Siue os, siue cartilago, siue neruus sectus fuerit in corpore, neque augetur, neque coalescit.

COMMENT.

Expositus est aphor. 19. sect. 6.

APHOR. XXIX.

Ἢν ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διαῤῥοία ἐπιγένηται ἰσχυρὴ, λύει τὴν νοῦσον.

Si leucophlegmatia detento fortis diarrhœa

diarrhœa ſuperuenerit, morbum ſoluit.

COMMENT.

Omnis diuturna euacuatio, laborantibus morbo à pituita in toto exuberante ſuperueniẽs, & per locos decentes cacochymiam ſalubriter detrahens: morbum ſoluit.

Fortis diarrhœa inuadens leucophlematiâ detentos, diuturna eſt euacuatio, laborantibus morbo à pituita in toto exuberante ſuperueniens, & per locos decentes cacochyniam aliquando ſalubriter detrahens. Ergo

Fortis diarrhœa inuadens leucophlegmatiâ detentos, morbum aliquando ſoluit.

Huic affinis 14. 6.

APHOR. XXX.

Οκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥέει.

Quibus per diarrhœas ſpumoſa ſunt alui excrementa, iis à capite fit deſluxio.

COMMENT.

Quotieſcunque præcipuæ corporis partes exonerant ſeſe ab humore noxio, in ſingulis magis abundante, tunc ſpumoſæ quæ fiunt deiectiones, à cerebro potiſſimùm manant, *vtpote viſcere materia earum, vaporoſa ſcilicet pituita generanda, maximè idoneo.*

Quum diarrhœæ contingunt, præcipuæ corporis partes exonerant ſeſe ab humore noxio, in

singulis magis abundante. Ergo

Quum diarrhœæ contingunt, spumosæ quæ fiunt deiectiones, à cerebro potissimum manant.

APHOR. XXXI.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσι οὔροισι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν.

Quibus per febres in vrinis sedimenta crassiorem farinam referunt, longam inualetudinem fore denuntiant.

COMMENT.

Quæcunque crassiorum humorum abundantiam arguunt, multo tempore egentium vt concoquantur, illa cum magna virium imbecillitate, citam mortem cum earum autem robore longam ægritudinem denunciant.

Sedimenta vrinarum in febre detentis, crassiorem farinam referentia, crassorum humorum abundantiam arguunt, multo tempore egentium vt concoquantur. Ergo

Sedimenta vrinarum in febre detentis, crassiorem farinam referentia, cum magna virium imbecillitate, citam mortem, cum earum autem robore, longam ægritudinem denunciant.

APHOR. XXXII.

Ὁκόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες,

ἄνωθεν

ἄνωθεν δὲ λεπτὰ, ὀξεῖαν ἀρρωστίαν σημαίνει.

Quibus in vrinis biliosa sedimenta, sed suprà tenuia apparuerint, acutum morbum significant.

COMMENT.

Quæcunque ostendunt crudam morbi initio materiam citò cōcoctum iri, acutum vel simpliciter breuem morbum significant.

Vrinarum sedimenta primùm tenuia, paulò pòst biliosa, & plusquàm inchoatam concoctionem referentia, ostendunt crudam morbi initio materiam citò concoctum iri. Ergo

Vrinarum sedimenta primùm tenuia, paulò pòst biliosa, & plusquàm inchoatam concoctionem referentia, acutum vel simpliciter breuem morbum significant.

APHOR. XXXIII.

Ὁκόσοισι δὲ διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται, τουτέοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματι ἐστίν.

Quibus diuersæ fiunt vrinæ, iis vehemens est in corpore turbatio.

COMMENT.

Quæcunque magnam humorum diuersitatem arguunt, aduersus quos natura pugnam committit, illa vehementem in corpore turbationem significant.

Vrinæ *ſubſtantiâ*, *colore*, *&* *contento* diuerſæ, magnam humorum diuerſitatem arguunt, aduerſus quos natura pugnam committit.

Ergo

Vrinæ diuerſæ vehementem in corpore turbationem ſignificant.

APHOR. XXXIV.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίστανται πομφόλυγες, νεφριτικὰ σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι.

Quibus in vrinis bullæ innatant, nephritim, & longam fore inualetudinem ſignificant.

COMMENT.

Quæcunque magnam frigidi, craſſi, viſcidíque humoris copiam oſtendunt vnà cum flatu in renibus abundare, illa nephritim indicant diu duraturam.

Bullæ ſtabiles, in vrinis innatantes, per plures dies viſæ, magnam frigidi, craſſi, viſcidíque humoris copiam oſtendunt vnà cum flatu in renibus abundare. Ergo

Bullæ ſtabiles, in vrinis innatantes, per plures dies viſæ, nephritim indicant diu duraturam.

APHOR. XXXV.

Ὁκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τουτέοισι νεφριτικὰ, καὶ ὀξέα σημαίνει.

Quibus

Quibus in vrina adipalis ſuperficies eſt & conferta, iis nephriticum & acutum morbum adeſſe ſignificat.

COMMENT.

Quicquid inſignem & colliquantem calorem arguit in renibus, illud nephritim acutam ſignificat.

Pinguedo cum vrina confertim prodiens, & in eius ſuperficie conſpicua, inſignem & colliquantem calorem arguit in renibus. Ergo

Pinguedo cum vrina confertim prodiens, & in eius ſuperficie conſpicua, nephritim acutam ſignificat.

APHOR. XXXVI.

Ὀκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι τὰ προειρημένα συμβαίνει σημεῖα, πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται, ἢν μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνωνται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω· ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς εἴσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον εἴσω.

Quibus autem nephriticis, præter ſuprà dicta ſigna, dolores etiam circa ſpinæ muſculos fiunt, ſiquidem ad loca exteriora vergant, abſceſſum extrinſecus futurum, ſi verò magis ad interiora, ab-

scessum introrsum potiùs futurum expecta.

COMMENT.

Quibuscunque nephritide infestatis, materia in vicinos musculos decumbit, iis morbi solutio expectanda per abscessum ad ea loca, exteriora quidem, si eò vergat materia, interiora verò, si interiùs existat.

Quibus non solùm adfuêre signa renum malè affectorum, in vrinis conspicua, verùm etiam dolores circa spinæ musculos fiunt: iis nephritide infestatis, materia in vicinos musculos decumbit. Ergo

Quibus non solùm adfuêre signa renum malè affectorum, in vrinis conspicua, verùm etiam dolores circa spinæ musculos fiunt: iis morbi solutio expectanda per abscessum ad ea loca, exteriora quidem, si eò vergat materia, interiora verò, si interiùs existat.

APHOR. XXXVII.

Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ, σωτήριον· εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν· θεραπεύειν δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι, καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

Qui sanguinem vomunt, si absque febre, salutare: si cum febre, malum: curatur autem refrigerantibus & adstringentibus.

COM-

COMMENT.

Omnis excretio ſanguinis per os, quæ præter ſolitos vaſorum affectus, ab inſigni quoque ſanguineæ maſſæ efferueſcentia, aut ſimul à viſceris alicuius naturalis inflammatione promouetur, mala eſt & periculi plena: quæ verò à recluſo ſimpliciter vaſis oſculo, vel exeſa in ventriculo vena prouenit, minùs eſt mala, vtpote curationem plerumque admittens.

Sanguinis vomitus cum febre, excretio eſt ſanguinis per os, quæ prçter ſolitos vaſorum affectus, ab inſigni quoque ſanguineæ maſſæ efferueſcentia, aut ſimul à viſceris alicuius naturalis inflammatione promouetur: idem verò ſine febre, à recluſo ſimpliciter vaſis oſculo, vel exeſa in ventriculo vena prouenit. Ergo

Sanguinis vomitus cum febre, malus eſt, & periculi plenus: ſine febre autem minùs malus, vtpote curationem plerumque admittens, *qua refrigerantibus & adſtringentibus perficitur.*

APHOR. XXXVIII.

Κατάῤῥοι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν.

Deſtillationes in ſuperiorem ventrem ſuppurantur intra dies viginti.

COMMENT.

Omnis materia propriè vel impropriè ſuppu-

rabilis, influens in corporis regionem valde calidam, ſuppurari vel concoqui ſolet intra terminum morborum ſimpliciter acutorum, id eſt intra dies viginti.

Deſtillatio in thoracem, materia eſt impropriè ſuppurabilis, influens in regionem valde calidam. Ergo

Deſtillatio in thoracem ſuppurari vel concoqui ſolet intra dies viginti.

APHOR. XXXIX.

Ἢν οὐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ περίναιον καὶ τὸ ὑπογάστριον καὶ τὸν κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νουσέειν σημαίνει.

Si quis ſanguinem aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat, dolore ad perinæum, aut hypogaſtrium ſeu pectinem pertinente, ad veſicam loca laborant.

COMMENT.

Hic idem eſt cum 80. ſect. 4.

APHOR. XL.

Ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γίνηται, ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται.

Si derepentè lingua incontinens fiat, aut aliqua corporis pars attonita ſtupeat, ſignum eſt melancholium.

COM-

COMMENT.

Omnia ſymptomata quæ ad paralyſim accedentia, ab humore pendent tenui, acrimoniæ experte, non raro fiunt, ab ichore melancholico, quamuis à pituita frequentiùs oriantur.

Linguæ incontinentia derepentè adueniens, *ablato vel imminuto eius motu*, aut alterius partis attonitæ ſtupor, ſymptomata ſunt quæ ad paralyſim accedentia, ab humore pendent tenui, acrimoniæ experte. Ergo

Linguæ incontinentia derepentè adueniens, aut alterius partis attonitæ ſtupor, non raro fiunt ab ichore melancholico, quamuis à pituita frequentiùs oriantur.

Quamobrem ſi ætas ac temperamentum ægri corporis, melancholiæ dominium præ ſe ferant, dicta ſymptomata ſigna erunt melancholica.

APHOR. XLI.

Ἢν ὑπερκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λὺγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν.

Si ſenibus ſupra modum purgatis ſingultus accidat, non bonum.

COMMENT.

Omne ſymptoma quod à magna natiui humidi conſumptione ortum ducit, maius malum denotat in ſenibus, *vtpote ſiccioribus, & infirmiores vires habentibus*, quàm in iuuenibus, *molliore ſubſtantia, & maiore virium robore præditis.*

Singultus à ſuperpurgatione, ſymptoma eſt

quod à magna natiui humidi consumptione ortum ducit. Ergo

Singultus a superpurgatione, maius malum denotat in senibus, quam in iuuenibus.

Huc facit aphor. 34. sect. 2.

APHOR. XLII.

Ἢν πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ, ὕδατος πολλοῦ καὶ θερμοῦ καταχεομένου κατὰ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται.

Si febris non à bile fuerit, multa aqua calida capiti superfusa febrem soluit.

COMMENT.

Quicquid cutem emolliendo & rarefaciendo, per apertos eius meatus contentiuã febrium causam, id est calorem, euocat & aufert, vel imminuit: illud febres immateriales, ephemeras quidem soluit, hecticas verò, præsertim curabiles, mitigat.

Balneum aquę calidæ, cutem emolliendo & rarefaciendo, per apertos eius meatus contentiuam febrium causam, id est calorem, *ephemerarum quidem in spiritibus accensum*, euocat & aufert, vel *hecticarum in solidis hærẽtem*, imminuit. Ergo

Balneum aquæ calidæ, febres immateriales, ephemeras quidem soluit, hecticas verò præsertim curabiles, mitigat.

APHOR. XLIII.

Γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται.

Mulier

Mulier non fit ambidextera.

COMMENT.

Nullum corpus insigni musculorum robore, largioreque spirituum & calidi ingeniti copia destitutum, fit amphidexium.

Corpus muliebre est vt plurimùm, insigni musculorum robore, largioréque spirituum & calidi ingeniti copia destitutum. Ergo

Corpus muliebre, vt plurimùm, non fit amphidexium.

APHOR. XLIV.

Ὁκόσοι ἔμπυοι καίονται ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πῦον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται· ἢν δὲ ὕφαιμον καὶ βορβορῶδες, καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται.

Empyi quum vruntur aut secantur, si purum & album pus effluat, euadunt: si verò subcruentum, fæculentúmque & fœtidum, pereunt.

COMMENT.

Quicquid ægrotantis naturam significat morbo dominari, aut succumbere, illud salutem, vel mortem denunciat.

Pus in empyis, quum vruntur aut secantur, purum & album effluens eorum naturam morbo dominari: subcruentum verò, fæculentũ, ac fœtidum, eandem succumbere significat.

Ergo

Pus in empyis, quum vruntur aut secantur, pu-

rum & album effluens, salutem: subcruentum verò, fæculentum, ac fœtidum, mortem denunciat.

APHOR. XLV.

Ὁκόσοι τὸ ἧπαρ διάπυον καίονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκόν, περιγίνονται· ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πύον τουτέοισιν ἐστίν· ἢν δὲ οἷον ἀμόργη ῥυῇ, ἀπόλλυνται.

Quibus purulentum iecur aduritur, si purum pus effluat & album, salui fiunt, in tunica enim ipsis pus continetur: si verò qualis amurca profluat, intereunt.

COMMENT.

Quicquid significat purulentam morbi materiam, in præcipuo viscere, vel solam eius tunicam occupasse, & probè à natura regi, vel in ipsum viscus penetrasse, nec regi à natura: illud aliàs salutis aliàs mortis est indicium.

Pus iis quibus purulentum iecur aduritur, effluens purum & album, morbi materiam, solam visceris illius tunicam occupasse, ac probè à natura regi: prodiens verò qualis amurca, materiam putridam in ipsum viscus penetrasse, nec regi à natura significat. Ergo

Pus iis quibus purulentum iecur aduritur, effluens purum & album, salutis: prodiens verò qualis amurca, mortis est indicium.

APHOR. XLVI.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἄκρητον ποτίσας καὶ λούσας

λύσας πολλῷ θερμῷ, φλεβοτόμει.

Dolores oculorum post meraci vini potum, & aquæ calentis balneum, venæ sectione curato.

COMMENT.

Omnis affectus à causis proueniens sanguinem calefacientibus, liquantibus, & augentibus, venæ sectione curari debet.

Dolor oculorum à meraci vini potu, & aquæ calentis balneo, affectus est a causis prouenienssanguinem calefacientibus, liquantibus, & augentibus. Ergo

Dolor oculorum à meraci vini potu, & aquæ calentis balneo, venæ sectione curari debet.

APHOR. XLVII.

Ὑδρωπιῶντα ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστός ἐστιν.

Si hydropicum tussis habeat, desperatus est.

COMMENT.

Omne vitium in thorace genitum & confirmatum, per consensum à visceribus naturalibus morbo grauissimo detentis, omnem curationis spem abripit.

Diuturna tussis & contumax, hydropi superueniens, vitium est in thorace genitum & confirmatum, per consensum à visceribus naturalibus morbo grauissimo detentis. Ergo

Diuturna tussis & contumax hydropi superue-

niens, omnem curationis spem abripit. Similis habetur sententia aphor 34 sect. 6.

APHOR. XLVIII.

Στραγγουρίην καὶ δυσουρίην θώρηξις καὶ φλεβοτομίη λύει· τέμνειν δὲ τὰς εἴσω φλέβας.

Stranguriam & dysuriam thorexis & venæ sectio soluit: incidendæ autem sunt interiores.

COMMENT.

Omnis affectus vesicæ, partis videlicet ratione sumendorum valde remotæ, a causis frigidis ortum ducens, calidis assumptis tenuis substantiæ, putà meri potu: ab inflammatione verò pendens, sectione interioris venæ internæ cum vesica consentientis, potissimùm curatur.

Stranguria est affectus vesicæ, partis videlicet ratione sumendorum valde remotæ, à causis frigidis, *putà intẽperie, pituita, aut flatu*, multoties ortum ducens: dysuria verò, vt plurimùm, ab inflammatione pendet. Ergo

Stranguria dicta calidis assumptis tenuis substantiæ, putà meri potu: dysuria sectione interioris venæ infernæ cum vesica consentiẽtis, potissimùm curatur: *Vt docetur etiam aphor. 36. sect. 6.*

APHOR. XLIX.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα καὶ ἐρύθημα

ῥύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγινόμενον, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Ab angina detento tumor & rubor in pectore superueniens, bonum: foras enim morbus vergit.

COMMENT.

Quæcunque denotant peracuti morbi materiã cum intemperie calida foràs vergere, bona sunt signa.

Tumor & rubor in pectore, angina laboranti superueniẽtes, denotãt peracuti morbi materiam cum intemperie calida foràs vergere. Ergo

Tumor & rubor in pectore, anginæ laboranti superuenientes, bona sunt signa.

Aph. 36. sect. 6. huic est consimilis.

APHOR. L.

Ὁκόσοισι ἂν σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Quibus cerebrum sphacelo corripitur, intra tres dies intereunt: si verò hos superauerint, sani fiunt.

COMMENT.

Omnis morbus in præcipuo mollíque viscere inchoatus, citissimè tendens ad affectæ partis interitum, nec hominem, *natura valdè obsistente*, intra triduum perimens, spem maximam sanitatis facit.

Sphacelus in cerebro exoriens, morbus eſt in præcipuo mollíque viſcere inchoatus, citiſſimè tẽdẽs ad affectæ partis interitũ, nec hominẽ aliquando intra triduũ perimens. Ergo

Sphacelus in cerebro exoriens, aliquando ſpem maximam ſanitatis facit.

APHOR. LI.

Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ· ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω· ψοφεῖ δὲ, ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν.

Sternutamentum cietur ex capite, cerebro excalfacto, aut perhumectato ſpatio in capite inani: aër enim intus contentus foras erumpit: ſtrepit autem quia per anguſtum ipſi eſt exitus.

COMMENT.

Quotieſcũque partes cerebri ſenſu tactus præditæ, cum naribus internis conſentientes, irritantur, tunc cerebri nariúmque expultrix magna vi inſurgens, *à motrice capitis & pectoris adiuta*, magnam aëris & fuliginum copiã, per nares palatúmque recens attractam, vnà cum re priùs irritante valenter expellit, atque ita ſternutamentum cietur.

Quoties vel acri materia in cerebro excalfacto abundante, vel inani eius ſpatio à copioſis vaporibus perhumectato, carũculæ mammillares

res vellicantur, aut titillantur: tunc partes cerebri sensu tactus præditæ, cum naribus internis consentientes, irritantur. Ergo

Quoties vel acri materia in cerebro excalfacto abundante, vel inani eius spatio à copiosis vaporibus perhumectato, carunculæ mammillares vellicantur aut titillantur: tunc cerebri nariúmque expultrix magna vi insurgens, magnam aëris & fuliginum copiam, per nares palatúmque recens attractam, vnà cum re priùs irritante valenter expellit, atque ita sternutamentum cietur.

Aphor. LII.

Οκόσοισιν ἧπαρ περιωδυνᾶται, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην.

Quibus hepar vehementer dolet, iis febris superueniens soluit dolorem.

COMMENT.

Quotiescunque affectui præter naturam, à copiosis flatibus, alicuius visceris membranam distendentibus, alter superuenit affectus calefaciẽs, & flatus discutiens: hic priorẽ soluit.

Quoties hominem vehementi hepatis dolore detentum, febris inuadit, tunc affectui præter naturam, à copiosis flatibus visceris membranam distendentibus, alter superuenit affectus calefaciens, & flatus discutiens. Ergo

Quoties hominem vehementi hepatis dolore detentũ febris inuadit, hæc dolorem soluit.

APHOR. LIII.

Ὁκόσοισι συμφέρει αἷμα ἀφαιρέεσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν, τουτέοισι χρὴ ἦρος φλεβοτομέεσθαι.

Quibus sanguinem è venis detrahere conducit, iis vere secanda est vena.

COMMENT.

Exponitur hic aphor. 47. sect. 6.

APHOR. LIV.

Ὁκόσοισι μεταξὺ τῶν φρενῶν, καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην παρέχει, οὐκ ἔχον διέξοδον εἰς οὐδετέρην τῶν κοιλιῶν, τουτέοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέντος τοῦ φλέγματος, λύσις γίνεται τῆς νούσου.

Quibus inter ventriculum & septum transuersum pituita concluditur, & dolorem adfert, in alterutrum ventrem viam non habens, iis per venas in vesicam versa pituita, morbi fit solutio.

COMMENT.

Quotiescunque materia frigida occurrit, affectum faciens in loco prope venas maximas, vnde nullus pateat exitus: tunc materia illa si exsiccatione durescat, in scirrhum mutabitur, sin attenuata in venas transferatur, per vrinas exibit, & morbi solutionem afferet.

Quum

Quum pituita dolorem facit intra peritonęum, quæ parte ad ventriculum & diaphragma pertinet, materia frigida occurrit, affectum faciens in loco prope venas maximas, vnde nullus patet exitus. Ergo

Quum pituita dolorem facit intra peritonæum, qua parte ad ventriculum & diaphragma pertinet, si exsiccatione durescat, in scirrhum mutabitur, sin attenuata in venas transferatur, per vrinas exibit, & morbi solutionem afferet.

APHOR. LV.

Ὁκόσοισι αὖ τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν εἰς τὸ ἐπίπλοον ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιμπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν.

Quibus hepar aqua refertum eruperit in omentum, his venter aqua repletur, & moriuntur.

COMMENT.

Quibuscunque præcipuum aliquod viscus valde laborans, grauissimum alium morbum producit, illi ferè moriuntur.

Quibus ieçur aqua refertum in omenti locum eruperit, iis præcipuum viscus valde laborans, grauissimum alium morbum, *nempe ascitem*, producit. Ergo

Quibus iecur aqua refertum in omenti locum eruperit, illi ferè moriuntur.

APHOR. LVI.

Ἀλύκη, χασμὴ, φρίκη, οἶνος ἴσος ἴσῳ.

πινόμενος, λύει τὴν νοῦσον.

Anxietudo, oſcitatio, horror, vinum pari aquæ portione epotum, ſoluit morbum.

COMMENT.

Quicquid tenuem vaporoſámve, & acrem humiditatem ori ventriculi, aut muſculis temporum & maxillarum, aut cuti inſitam diſcutit, attemperat, ac inſuper vires reficit: illud anxietudinem, oſcitationem, & horrorem ſoluit.

Vinum pari aquæ portione epotum, tenuem vaporoſámve, & acrem humiditatem ori ventriculi, aut muſculis temporum & maxillarum, aut cuti inſitam diſcutit, attemperat, ac inſuper vires reficit. Ergo

Vinum pari aquæ portione epotum, anxietudinem, oſcitationem, & horrorem ſoluit.

APHOR. LVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα γίνεται, τουτέοισι διαπυήσαντος, καὶ ἐκραγέντος, λύεται ὁ πόνος.

Quibus in meatu vrinario generatur tuberculum, ſuppurato eo & rupto, dolor ſoluitur.

Aphoriſmus eſt 82. ſect. 4.

APHOR. LVIII.

Ὁκόσοισι δὲ ὁ αἰεὶ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος.

τινὸς πρεσφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι παραχρῆμα.

Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri est necesse.

COMMENT.

Quibuscunque facultas animalis, subitò ac violenter in seipsam cōtracta otiatur, illos protinus mutos fieri, *hoc est sensu motúque aliquandiu priuari*, necesse est.

Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, facultas animalis subitò ac violenter in seipsam contracta otiatur. Ergo

Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri necesse est.

Aphor. LIX.

Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σαρκὰς ἔχουσι, δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν. λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα.

Corporibus humida carne præditis perferenda fames est: nam fames siccat corpora.

COMMENT.

Quicquid per se aut per accidens exsiccat, corporibus conuenit humida carne præditis.

Fames seu tenuis victus per accidens exsiccat.

Ergo
Fames seu tenuis victus, corporibus conuenit humida carne præditis.

APHOR. LX.

Ὅκου ἂν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ τὸ σῶμα καταψύχηται, καὶ πάλιν θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλῃ, μῆκος νόσου σημαίνει.

Vbi toto corpore mutationes, & corpus refrigeratur, vicissimque calefit, aut colorem alium ex alio mutat, longitudinem morbi significant.

COMMENT.

Hunc exposuimus aphor. 40. sect. 4.

APHOR. LXI.

Ἱδρὼς πολὺς θερμὸς ἢ ψυχρὸς ῥέων αἰεὶ, σημαίνει ἔχειν πλησμονὴν ὑγροῦ· ἀπάγειν οὖν χρὴ τῷ μὲν ἰσχυρῷ ἄνωθεν, τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

Sudor multus calidus frigidúsve semper fluens, humiditatem in robusto quidem supernè, imbecillo verò infernè vacuandam esse demonstrat.

COMMENT.

Spurius est aphorismus: tres verò sequentes habentur sect. 4. aphor. 43. 44. & 45.

APHOR.

APHOR. LXII.

Οἱ πυρετοὶ οἱ μὴ διαλείποντες, ἢν ἰσχυρότεροι διὰ τρίτης γίνονται, ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres non intermittentes, si tertia quaque die exacerbantur, periculosæ: quoquo modo autem intermiserint, periculum abesse significatur.

APHOR. LXIII.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισιν ἢ φύματα ἐς τὰ ἄρθρα, ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

Quibus febres longæ, iis aut tubercula ad articulos, aut labores fiunt.

APHOR. LXIV.

Ὁκόσοισι φύματα μακρὰ, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus longa tubercula, aut ad articulos labores à febre fiunt, hi copiosiore cibo vtuntur.

APHOR. LXV.

Ἤν τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι, ἰσχύς· τῷ δὲ κάμνοντι, νοῦσος.

Si quis febricitanti cibum præbeat, ſano quidem robur, ægrotanti verò morbus.

COMMENT.

Quicquid in ſano corpore probum ſanguinem, in ægro cacochymiam auget, naturámque auertit à pugna cum morbo, illud ſano roboris, ægro morbi grauioris, viriúmque imbecillitatis eſt cauſa.

Idem cibus augens vel conſeruans, vario tempore eidem homini exhibitus, ſano quidem probum ſanguinem, ægro autem cacochymiam auget, naturámque auertit à pugna cũ morbo. Ergo

Idem cibus augens vel conſeruans, vario tempore eidem homini exhibitus, ſano quidem roboris, ægro autem grauioris morbi, viriúmque imbecillitatis eſt cauſa.

APHOR. LXVI.

Τὰ διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾷν δεῖ, εἰ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα· τὰ δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

Quæ per veſicam excernuntur ſpectare oportet, an talia ſint qualia per ſanitatem ſubeũt: nam quæ his minimè ſunt ſimilia, inſalubriora: quæ verò ſanis ſimilia, non inſalubria.

COM-

COMMENT.

Omne excretum secundū naturam se habens, salubre: quod verò à naturali recedit, pro maiore vel minore recessu aut dissimilitudine, magis vel minùs insalubre censetur *aph. 78. huius sect.*

Vrina qualis per sanitatem reddi solet, excretum est secundùm naturam se habens: quæ verò dissimilis, à naturali recedit. Ergo

Vrina qualis per sanitatem reddi solet, salubris: quæ verò dissimilis, pro maiore vel dissimilitudine, magis vel minùs insalubris censetur.

APHOR. LXVII.

Καὶ οἷσι τὰ ὑποχωρήματα, ἢν ἐάσῃς στῆναι, καὶ μὴ κινήσῃς οἱονεὶ ὑφίσταται ξύσματα. καὶ ἢν ὀλίγα ᾖ, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται· ἢν δὲ πολλὰ, πολλὴ, τουτέοισι ξυμφέρει ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ μὴ καθαρὴν ποιήσας διδῷς τὰ ῥοφήματα, ὁκόσα ἂν πλείω διδῷς, μᾶλλον βλάψεις.

Et quibus deiectiones, si stare permiseris, nec moueris, subsistunt veluti strigmenta, quæ si pauca sint, paruus morbus est, si verò multa, magnus, his aluum infernè purgari conducit: nam si non repurgata aluo sorbitiones

dederis, quanto plures dabis, tanto magis lædes.

COMMENT.

Quotiescunque materiæ maximè noxiæ euacuatio supprimitur, tunc materia illa retenta, prout copiosior vel minùs copiosa fuerit, maiorem vel minorem morbum efficiet, nisi à medico maturè vacuetur.

Quoties in spontaneis aut artefactis per aluum purgationibus, prauorum humorum reliquię, strigmentis similes, intus cohibentur: euacuatio materiæ maximè noxiæ supprimitur.

Ergo

Quoties in spontaneis aut artefactis per aluum purgationibus, prauorū humorum reliquiæ, strigmentis similes, intus cohibentur: materia illa retenta, prout copiosior fuerit vel minùs copiosa, maiorem aut minorem morbum efficiet, nisi à medico maturè vacuetur.

Quod sequitur in aphorismo, purgationis ostendit necessitatem, & conuenit cum aphor. 10. sect. 2.

APHOR. LXVIII.

Ὁκόσα αἱ κάτω ὠμὰ διαχωρέῃ, ὅτι χολῆς μελαίνης ἔνεστιν, ἢν πλείω, πλείων, ἢν ἐλάσσω, ἐλάσσων ἡ νοῦσος.

Quibus cruda deorsum subeunt, à nigra sunt bile: si plura, maior, si pauciora, minor noxa.

COM-

COMMENT.

In quibuscunque corporibus viscera naturalia refrigerationem patiuntur, ab humore calidum innatum maximè infestante, in his cruda deorsum subeũtia, in eum humorem sunt referenda, magis vel minùs lædentem, pro excrementorum copia.

In corporibus à multo tempore melancholicis, viscera naturalia refrigerationem patiuntur à nigra bile, humore scilicet calidum natiuum maximè infestante. Ergo

In corporibus à multo tempore melancholicis, cruda deorsum subeuntia, in bilem nigram sunt referenda, magis vel minùs lędentem, pro excrementorum copia.

Aphor. LXIX.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ χολώδεες καὶ δυσώδεες, πᾶσαι κακαὶ· ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί· καὶ κατὰ κοιλίην, καὶ κύστιν, καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ κεκαθαρμένον, κακόν.

Excreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, biliosæ, & fœtidæ, omnes malæ: commodè tamen si prodeant, bonæ: per aluum etiam & vesicam, & vndecunque prodeat ali-

quid, si non purgatum restiterit, malum.

COMMENT.

Hic habetur aphor. 47. sect. 4. sequentes verò duo, 9. & 3. sect. 2.

APHOR. LXX.

Τὰ σώματα χρὴ ὅκου τις βέλεται καθαίρεσθαι, εὔροα ποιέειν· κἢν μὲν ἄνω βούληται, στῆσαι τὴν κοιλίην· ἢν δὲ κάτω, ὑγρῆναι.

Corpora quà quis purgare volet, fluxilia faciat oportet: & si quidem suprà velit, aluus sistenda, si verò infrà, laxanda.

APHOR. LXXI.

Ὕπνος ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, νοῦσος.

Somnus & vigilia, modum si excesserint, morbus.

APHOR. LXXII.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσι, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔσω καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus, si externa frigeant, interna vrantur, & febris adsit, lethale est.

APHOR. LXXIII.

Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς

ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαςραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢ μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐὼν, ὅ,τι ἂν τουτέων γίνηται, θανάσιμον.

In febre non intermittente, si labrum aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertatur, si non videat, si non audiat, quicquid horum ægro debili acciderit, in propinquo mors.

COMMENT.

Hi duo exponuntur aphor. 48 & 49. sect. 4.

APHOR. LXXIV.

Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι, ὕδρωψ ἐπιγίνεται.

Albæ pituitæ aqua intercus superuenit.

COMMENT.

Quoties aquę intercutem materia in toto exuberat, aqua intercus non rarò superuenit.

Vbi venæ scatent sanguine pituitoso, aquæ intercutem materia in toto exuberat. Ergo

Vbi venæ scatent sanguine pituitoso, aqua intercus non rarò superuenit.

APHOR. LXXV.

Ἐπὶ διαῤῥοίῃ, δυσεντερίη.

A diarrhœa, dysenteria.

COMMENT.

Omni diuturnæ deiectioni syncerę & eroden-

ti, superuenit dysenteria.

Aliqua diarrhœa, diuturna deiectio est, syneera & erodens. Ergo

Alicui diarrhœæ superuenit dysenteria.

APHOR. LXXVI.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ λειεντερίη ἐπιγίνεται.

Dysenteriæ superuenit leienteria.

COMMENT.

Cuicunque affectui magna in intestinis cicatrix, aut etiam tanta succedit ventriculi & intestinorum imbecillitas, vt horum viscerum innatum calidum magna parte resoluatur: eidem affectui superuenit leienteria.

Dysenteriæ diuturnæ magna sæpe cicatrix in intestinis, aut etiam tanta succedit ventriculi & intestinorum imbecillitas, vt horum viscerum innatum calidum magna parte resoluatur. Ergo

Dysenteriæ diuturnæ superuenit sæpe leienteria.

APHOR. LXXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι τεταρταίοισιν ἐοῦσιν αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῇ, κακόν.

Quibus in febribus quartanis, sanguis fluxerit è naribus: malum.

COMMENT.

Quicquid in ægrotante magnam virium imbecillitatem arguit, materiæque morbificæ ma-

ce malignitatem auget: malum est vt signum, & vt causa.

Sanguinis fluor è naribus, in febribus quartanis, magnam arguit virium imbecillitatem, *naturâ scilicet probum sanguinem vt magis fluidum prodire sinente*, materiæque morbificæ, *syncerioris intus relicta*, malignitatem auget. Ergo

Sanguinis fluor è naribus, in febribus quartanis, malus est vt signum, & vt causa.

APHOR. LXXVIII.

Ὁκοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, καὶ τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι, καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σαρκὰς, καὶ ἢν τῇ ἄλλῃ τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα, ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται· ἢν δὲ πολὺ, πολλή· ἢν πάνυ πολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

Qualia quæ per vrinas & aluum subeunt, & quæ per carnes abeunt, & si aliter corpus à natura recedat inspicere oportet: nam si parùm, paruus est morbus, si multùm, magnus: si valde multùm, lethale hoc est.

COMMENT.

Quæcunque vel bonam, vel malam, aut etiam pessimam viscerum constitutionem, integrásque, vel depravatas, aut etiam euersas eorum actiones arguunt: illa, prout vel nullum,

vel minorem, maiorémve, aut etiam maximum recessum à naturali statu denotant, ita medico debent esse signa vel sanitatis, vel minoris, maiorísve, aut etiam maximi & lethalis morbi.

Quæ per vrinas, per aluum, per carnes, aut aliunde excernuntur, illa vel bonam, vel malam aut etiam pessimam viscerum constitutionem, integrásque vel deprauatas, aut etiam euersas eorum actiones arguunt. Ergo

Quæ per vrinas, per aluum, per carnes, aut aliunde excernuntur, illa, prout vel nullum, vel minorem, maiorémve, aut etiam maximum recessum à naturali statu denotant, ita medico signa debent esse vel sanitatis, vel minoris, maiorísve, aut etiam maximi & lethalis morbi.

APHOR. LXXIX.

Ἐπὶ σφακελισμῷ, ἀπόστασις ὀστέου.

A sphacelismo, ossis abscessus.

COMMENT.

Quæcunque corporis pars vitio laborat inemendabili, & vicinas partes depascente, ea curari nequit, nisi portio corrupta planè abscedat.

Os cariosum vitio laborat inemendabili, & vicinas partes depascente. Ergo

Os cariosum curari nequit, nisi portio corrupta planè abscedat.

APHOR.

APHOR. LXXX.

Ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται· ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται. ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα.

Quæcunque non ſanant medicamenta, ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea cenſere oportet inſanabilia.

COMMENT.

Omnis morbus qui nullis ſanatur mitibus aut validis remediis, curari debet violentis: qui non ſanatur violentis, curari debet extremis ac violentiſſimis: qui neque his tollitur, relinquendus vt incurabilis.

Omne vlcus nullis cedens medicamentis, morbus eſt qui nullis ſanatur mitibus aut validis remediis: quod non cedit ferro, non ſanatur violentis: quod igni reſiſtit, non tollitur extremis. Ergo

Omne vlcus nullis cedens medicamentis curandum eſt ferro: quod non cedit ferro, tollendum eſt igne: quod igni reſiſtit, relinquendum vt incurabile.

HIPPOCRATIS APHORISMORVM FINIS.

INDEX.

Prior numerus aphorismum, posterior sectionem notat.

A

Æstate.

Frigidi

Inuasio

Morbi

R

S

Senum

Tetanus

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Pag.71.l.27.& p.74.l.9. ſyncopas. p.80.l.4. & pulmonum p.156.l.7.& 8.paulatim & tardè coquendum, *ſimiliter in minore.* p.153.l.7. quum debiles,lethalem, *eodem modo in concluſione.* p.167.l.25. mali ſunt ominis.p.183.l.5. ſymptomaticis. p.190.l.13. & 20.dele,aliquem.p.193.l.19.neruoſum.p.200.l.25.peripneumonia.p.204.l.10.& 17. ampliorem locum. p.213.l.15.condenſat.p.261.l.18. capite p.265.l.12.cauſis.p.287.l.5.interſectum. p.333. lin.penult.l. corporibus. p.322.l.5. dele *huc facit* & lege *huic non repugnat.*p.337.l.11.vel minore..